THESES MEDICÆ DE FEBRIBUS QUAS ASSISTENTE GERMANO AZZOGUIDI...

François Xavier : de Lassone



14

THESES MEDICÆ
DE FEBRIBUS

QUAS ASSISTENTE

GERMANO AZZOGUIDI

PUBLICE DISPUTANDAS

PROPONIT

FRANCISCUS XAVERIUS DE LASSONE

PARISIENSIS.



DISPUTABITUR BONONIÆ

IN TEMPLO SANCTISSIMI SALVATORIS

Die XVI. Maji Hor. XXI.





SERENISSIMÆ FRANCORUM
DELPHINÆ

FRANCISCUS XAVERIUS DE LASIONE

ALter jam elabitur annus, ex quo in Philosophicis, Anatomicisque Rebus ab Gravissimis Viris instructus, atque ad Medicam artem addiscendam institutus, Patriam, Parentesque deserui, ut ejus facultatis præcepta ab Exteris etiam Academiis haurirem. Ne vero videar plus itineris amore, quam medicarum cognitionum desiderio id consilii cœpisse, constitui aliquam studiorum meorum rationem publice exponere; quod cum facio, cuinam magis, quam Tibi, SERENISSIMA FRANCORUM DELPHINA labores meos consecraverim? Probe intelligo, Theses hasce, quæ cum meæ sint, vix alicujus erunt momenti, Tibi non fuisse inscribendas,

dar, cum Tui Nominis Auspiciis magna tantumodo, atque perfecta in publicam lucem debeant proferri. Sed quis ignorat singularem illam Tuam in Parentem meum clementiam, qua cum ipsum Regiae Tuae Sanitati custodiendae praefeceris, omnem familiam tanto beneficio Tibi adeo devinxisti, ut nostrum nemo sit, qui quaecumque possit erga Te non moliatur non contendat, et prout occasio tulerit non exequatur? Oh utinam quae vellem possem praestare! Sed deficit ingenium, deficiunt vires, minus firma est valetudo, aetas vix producta, omnia demum, omnia contra me faciunt, ut minima tantumodo possim, cum velim maxima conari. Utinam saltem ea in me esset eloquentia, ut merita Tua splendidissima possem celebrare! Oh quam amplissimus aditus mihi pateret! Sed non dolet deficere orationem: Tu Ipsa Tu Tibi Tuas laudes efficis, neque elogium debes cum iis habere commune, qui merita ad commendationem interdum habent nulla, plerumque vero paucissima. Illud superest unum, quod abs Te demisse rogo, oro, obtestorque, ut Theses has clementer excipias, ut me Patrocinio, Autoritateque Tua sustineas. Id si feceris, quid honorificentius mihi evenire unquam poterit? Quid postmodum in Patriam reduci, quid non sperandum, quid non mihi expectandum?

Pulsus



I.



Ulsus frequentiam celebrem olim claris Praxagotæ discipulis ad febris præsentiam declarandam, Galenicorum deinde sententia minus probatam, atque iterum, Homio (a) narrante, post veteres a Sylvio inter pathognomonica febrium symptomata recensitam, ab iisdem detrahere Lamurius (b) non dubitavit. Subtilius disputavit, quam verè. Hujusmodi significationem præ reliquis omnibus ad febrim ipsam attinere constituit Boerhaavius [c], atque ubi ab internis caussis eadem ipsa exoritur, horripilationem, & calorem (utraque vario morbi tempore multimodis evoluta) adjiciendum esse docuit: (d) quæ singula, etsi Swietenius [e] improbare non omnino videatur, tamen febrim ipsam perpaucul is contineri arbitratur, ut vel ipsam functionum læsionem ab simplici febris specie excludendam esse contendat. Liberalius profecto agere præstat: idcirco nos etsi horripilationem non semper constantem, neque febres, vel ab internis caussis comparatas perpetuo excipientem judicemus, etsi adjunctam pulsus frequentiæ post Plancum (f) a Sauvagesio (g) virium voluntati subjectarum iminutionem recusandam esse opinemur, calorem tamen, functionumque læsionem plurimi facimus, potissimum cum pulsus frequentia, sanguinis constitutio presente febre, demum, quæ propiora sunt horripilationi, frigori, tremorique febrili, id omne videantur postulare. Hinc nostra de febribus opinio pulsus innititur frequentiæ, calori acuto, functionumque læsioni. Forte ne hac methodo febris essentiam attingimus? Id videant alii. hoc unum asserimus indicia recensita de febris præsentia Medicos ipsos commonere. A II.

(a) Home Princip. Medicin. Part. I. Sect. V. § IV.
(b) Quæst. Med. XII Quæst. VII pag. 36. & seq.
(c) Aphoris. de cognosc. & curand. Morb. § 570
(d) Ibid. § 563
(e) Com. in Boerh. Aphor. § 570. & seq.
(f) Histor. Hepat. pag. 247.
(g) Nosol. Meth. Class. II § IV.

II.

Pulsus consurgere frequentius, crebrius elevari, seque celerius attollere non potest, nisi discrimina similia, & prorsus eadem in cordis motu præsto sint. Declarat id omne animadversio physiologica caularum, adjunctorum, temporum, quibus efficitur, juvatur, regitur actio arteriarum.

III.

Movetur cor actione irritabilitatis muscularium ejusdem fibrarum excitata a sanguine venoso auriculas ingrediente, irritante in contractionem adigente, indeque in ventriculos protruso, eademque penitus operante: hinc cum fibrarum irritabilitas, tum sanguis opus omne conficiunt: quousque illa naturalem non excedit statum, quem temperamentum, ætas, vitæ genus, sexus, antecedentium ordo, functionum exercitium palam portendent, quousque sanguis ipse nec quantitate, neque appulsus modo, neque crasis conditione vitium recondit, cordis motus æqualis, ordinatus, debito quietis intervallo distinctus, ipsam, ceteris paribus, magnifice enunciabit sanitatem.

IV.

At si citius sistolem excipit diastoles, illaque prius subsequitur, quam naturæ leges postulant, vitium certo adest, aut perturbatio aliqua vel in muscularibus cordis fibris, vel ipso in sanguine: si rari quidem casus excipiantur, vix aliquid est auctæ cordis irritabilitatis, quod febrium plerarumque initia consequatur. Ergo, in sanguine oportet consistere, cumque satis constet data eadem irritabilitate, actionis ad eamdem pertinentis ordinem omnem, gradusque majores pendere ab ampliore stimulorum superficie, ab intensiore contactus modo, demum ab activiore eorumdem stimulorum indole, ideo haud difficile intelligitur, quapropter frequentiorem, febrilemque cordis motum constituat, vel uberior sanguinis quantitas, vel modus, quo vehementius irruit in cor, vel exaltatæ particulæ sanguinem componentes, vel præternaturales in eumdem acceptæ, vel demum horum pleraque multimodis consociata, aut simul omnia ad unam actionem conspirantia.

V.

Hinc non multum iis tribuendum censemus, qui febrim cordis morbum appellant: ad illa enim subeunda omnia, quæ in febre sustinet, passive tantum se habet, ferreque similis cordis motus absque morbo contingit, vel ipsa integra sanitate, animadversione

ne

ne desumpta ab illa frequentia in cordis actione, quæ post animi pathemata, post exercitationem, post cibum, haustumque calidum, aut generosiorem, post usum remediorum stimulantium, postque alia id genus, quæ aut fluidorum motum aliquanto valent intendere, aut sanguinis æquabilem ordinem, distributionemque nonnihil perturbare, in promptu plerumque est. Revera autem quid agenti musculo intimius evenit, ut celeriore, crebrioreque, facta operatione possit laborare?

VI.

Porro si auctum per frequentiorem cordis contractionem sanguinis, & humorum motum, una eadem cordis actio non infringit, corrigit, atque compescit, aut aliqua excretione amplificata, aut fluidis aliorsum directis, aut subactis, mutatis, solutis, eliminatis particulis quibuscumque morbosis, languifera vasa distenduntur, sanguis, aliaque fluida canales ingrediuntur non suos, subtilior humorum pars dissipatur, reliqua crassitudinem acquirit morbosam, secretiones alterantur, excretiones perturbantur, unde inflammationum, obstructionum, dolorum diversa genera hinc variæ, & multiplices functionum læsiones febribus adjunctæ, ab iisque affectibus exceptæ, qui profluunt a temperamento, a vitæ genere, a morbis prægressis, ab antecedentibus, ab ipsa demum cum anni tempestate, regionisque constitutione, tum genio epidemico.

VII.

Quidnam vero sit, quod in sanguine, atque in humoribus stimulorum ponit præsentiam, aptissime generali quodam præcepto Gorterus significavit. (a) utinam non etiam explicavisset! Opus autem omne illi non erit absconditum, qui repudiata Boerhaaviana liquidi nervosi in cordis ventriculos actione, cognoverit diversa acrimoniæ genera, diversosque ejusdem gradus, indeque vitia, quibus fluida nostra subiciuntur, vel in ipsis primis solutæ crasis initiis. Quæ Boerhaavius (b), Gaubius [c], Caldanius (d) præclare de hac re docuerunt, quæ Langrishius diligentissimis experimentis fuit prosecutus (e), viam nobis sternunt aptissimam ad antecedentes febrium causas intelligendas, quas repetere ab ingestis, excretis, retentis, gestis, & applicatis non abs re esse judicamus.

 VIII.

(a) *Prax. Med. Syst. lib. 3. n. 291.* (b) *Instit. Medic. §. 759.*
(c) *Instit. Pathol. Medic. § 289, & seqq.* (d) *Instit. Pathol. cap. 13., & seqq.*
(e) *The modern. Theor. and. Pract. Of. Fev. §. 382.*

VIII.

Scire autem juvat stimulantes particulas sanguini adjunctas non solo in corde potentiam præsto habere, quam in actionem conducant, sed aptitudinem similem, fereque eamdem singulis insitam esse vasis, ut hisce vividius irritatis, contractionis effectus consequatur: atque hic quidem minoribus in vasculis significationibus continetur non vulgaribus: hinc prima pandiculationis, horripilationisque initia, excepta inposterum a sensu frigoris, atque tremoris, lassitudinis, debilitatis, a pulsu inæquali, parvo, sæpe intermittente, a respiratione angusta, perturbata, a nausea, vomituque: atque ea, quæ primum attigimus, non ob id eveniunt, quod causæ calorem in animali corpore excitantes aut absint, aut oriantur, sed quod vere tardus sanguinis, & humorum motus per exiliora vascula productus cum ab eorumdem vasorum contractione, tum a sanguinis crassitudine, inertia, lentoreque, horum omnium per se rationem prorsus omnem contineat.

IX.

Interim ob primam febrilem commotionem stimulis magis evolutis, cordeque insignius irritato, quin a sanguine ad cerebrum cum impetu delato, nerveoque inde liquido uberius secreto, inque cordis nervos dimisso, cordis actio intendatur, quod Ellero præsertim placuit, augetur irritabilitatis actio in corde, proptereaque intensius sanguis propellitur, progressivus, atque intestinus humorum motus augetur: superatur minorum vasorum resistentia ab eorumdem contractione incitata, hærentes illac humores discutiuntur, tarde motorum adjuvatur progressio. hinc subtiliorum particularum avolatio, calor auctus, inflammatio, sitis, anxietas febrilis, ceteraque multiplices functionum læsiones significantia.

X.

Quoniam autem inflammationem recensui non erit abs re unum, vel alterum de eadem indicare. Itaque rejectis Paracelsi, Willisii, aliorumque Chemicorum (a) doctrinis, recusatisque opinionibus eorum, qui Hippocrate autore [b] hypermecanicas potentias in hunc locum suscitant: quin imo ob Caldanii momenta

ta

(a) (b) { Encyclopedie term. Inflam.

ta minus [a] probata Boerhaaviana hypothesi, inflammationis causam proximam repetendam esse judicamus a peculiari quodam irritamento admoto muscularibus fibris minimorum vasorum. Ea de re arteriæ crebriores in contractiones adactæ largiorem sanguinis copiam intensius in proximos ramos impingunt, quam cum respondentes venæ revehere non possint, distenduntur propterea eadem vascula, atque in tumescentiam attollunt, partem illam ad quam spectant. Cum vero sanguis in inflammatoria constitutione tenax fit, densus, viscidus, fibrosisque particulis plurimum abundet, resistentiæ ad motum progressivum validius operantes hunc ipsum magis retardabunt, dum interea ob stimulum quem vasculis adponit sanguis in iisdem contentus, incitamentum habebunt eadem vascula ad contractionem suscipiendam, adque majorem in sanguine attritum excitandum. Hinc explicatio prima, aut successiva evolutio actis illius principii, ignei, & fere caustici a Caldanio [b] nuncupati, quod inflammatam partem in gangrenam, aut sphacelum citissime impellit.

XI.

Cum autem partes inflammatione affectæ tumeant, tendantur, caleant, rubeant, pulsantique dolore urgeantur, consequitur facile hujusmodi significationes alicui loco inhærentes, atque acutæ febri copulatas, Inflammatorias febres particulares constituere. Hinc Phrenitides, Anginæ, Pleuritides, Peripneumoniæ, aliæque id genus acutæ febriles affectiones satis multæ. Eadem symptomata si diversis eodem tempore in locis occurrant, Casum præsto esse docuit Homius (c): Notare autem oportet, non raro in inflammatoriis febribus partem aliquam præ reliquis non magis esse affectam, atque unum generica inflammationis symptomata prodire. Placet Pringleus, qui vel hisce ipsis in conditionibus (d) internas aliquas ex insensibilibus partibus inflammatione correptas esse suspicatur.

XII.

Enarrata (§. 8. 9.) initium continent, augmentum statumque ipsius febris: hæc vero omnia ubi citius, majorique cum periculo absolvuntur, febres inde acutissimæ, peracutæ, acutæ proficiscuntur: ubi tarde, diversa lentarum, chronicarumque febrium genera exoriuntur. XIII.

(a) Instit. Pathol. Cap. 9. §. 109., & seq. (b) loc. cit. §. 116.
(c) Princip. medicin. Part. II. Sect. I.
(d) Observ. on the diseases of the Army fourth, Ed, Part III. Chap. I. pag. 128.

XIII.

Per febrilem motum particulæ præternaturales cor ſtimulantes immutantur, corriguntur, ſubiguntur, a ſanis humoribus diſſociantur, ut deinde per emunctorium aliquod e corpore eliminentur. id omne in apetto ponunt Langtishii [a] experimenta. hinc patet quam apte febrim ipſam definiverit Sydenhamus. (b) Ut vero ex ſtimulorum in ſanguine præſentia per phyſicam quamdam neceſſitatem inſurgit febris, ita ex conditione cum intenſionis, qua ſtimuli actionem exercent ſuam, tum ordinis, quo peccantium humorum correctio, & immutatio aut incohatur, aut conficitur, prima febrium proſluit diſtinctio in continuas continentes, in continuas remittentes, demum in intermittentes.

XIV.

Nimirum eadem ſemper in ſtimulo exiſtente activitate, aut ea per gradus vel amplificata, vel humiliore facta, oritur continua continens, cujus diverſa ſymptomata diſtinguunt in diariam, in ſynochum ſimplicem, in acutiſſimas aliquas perpaucas febres. Alias bene multas inter continuas continentes recenſent variæ Medicorum Scholæ: natura vero prorſus recuſat. Immutatio, atque correctio ſtimulorum, eorundemque actionis, effectuumque lenior decurſus, non tamen conſtans, non conjunctus cum ablatione cauſarum antecedentium, ponit febres continuas remittentes.

XV.

Prout vero hujuſmodi immutatio, atque correctio major fuerit, aut minor, prout præſentia actionis, effectuumque cauſarum antecedentium plus minus in promptu erit, major propterea, aut minor erit diſtantia ad novas acceſſiones: hinc diſtinctio ipſarum febrium continuarum remittentium in quotidianas, tertianas, quartanas.

XVI.

Illa ſtimulorum correctio, atque immutatio, ob quam forma aliqua omnino e corpore eliminentur, neque interea nova impediatur ſtimulorum in ſanguinem affuſio, pendens a cauſarum antecedentium actione adhuc præſente, conſtituit febrem intermittentem: prout autem hujuſmodi affuſio citius, aut tardius continget, brevior erit, aut longior apyrexia: hinc intermittentes quotidianæ, tertianæ, quartanæ, quintanæ, & ſic porro:

(a) Loc. cit. §. 140, & ſeq. (b) Op. Med. Sect. I cap. 4.

porro: hinc ratio explicandi intermittentium periodum Pringleo (a) adhuc obscuram, neque satis, eo judice, adhuc usque declaratam: hinc diversa intermittentium natura, pendens a diversa stimulorum conditione.

XVII.

Num vero affusio, quam diximus, semper a solo pancreatis vitio producatur, non facile Sylvio (b) concesserim, atque Crossio [c]. aliquando læsio omnis a Pancreate abest, aliquando hepar, lien, ventriculus, intestina, mesenterium, vel sola, vel conjunctim ad stimulos comparandos concurrunt. neque etiam plurimum tribuerem Willisianæ opinioni, Sydenhamo (d), Sponio, aliisque probatæ, qua ex chylo non recte subacto, atque a sanguine vel acri, vel acido in materiam periodice fermentescibilem commutato, omnia explicantur intermittentium phænomena: quæ enim adducitur sanguinis natura, ad febrim ponendam per se sufficeret: quæ de chylo dicuntur, penitus ab animalis œconomiæ legibus recedunt, atque tandem, etiamsi id genus omnia certo satis constarent, quotidianam quidem, aut duplicem tertianam remittentem excitarent, ipsas autem intermittentes evolvere nunquam possent. Ceterum fermentationi ad morbosi, sanique corporis operationes intelligendas nihil esse tribuendum, recentior Chemicorum industria patefecit, ut propterea multo plus ob discrimina obstructionum, quam ob fermenti præsentiam Tortio (e) sit adendum. Similiter non facile assentirem Langrishio (f) veterum opinionem a Fernelio (g) olim improbatam quodammodo renovanti: ut ut enim in ea sententia plura momenta veritatem ipsam illustrent, non tamen generales regulæ eruuntur ad quamcumque intermittentem explicandam.

XVIII.

Demum ad periodi rationem intelligendam nihil ego cum Boerhaavio repetam a Borello [h]. Docent namque Halleriana experimenta, quantum cordis nervis imperii sit in ejusdam actione regenda, adjuvanda, amplificanda, propetereaque constat, quid a fluidi nervei cordi destinati inertia sit expectandum. Quod si subita paroxismorum repente adorientium invasio, horri-

---

(a) Loc. cit. Part 3. ch. 4. pag. 193. (b) Op. Med. & Physic. de Feb. Cap. 3. pag. 76., & seq.
(c) De Febr. Intermitt. pag. 6., & seq. (d) Loc. cit. §. 381., & seqq.
(e) Therapeut. Special. Lib. I. Cap. 5., & seq. (f) Loc. cit. §. 755.
(g) Crossi loc. cit. pag. 3., & seqq. (h) De Mot. Animal. part. 2. cap. 22.

horripilatio, tremor, quorumdam remediorum actio, intermittentes a solis, validisque animi commotionibus subito excitatæ, futuri paroxismi recessus nulla sensibili evacuatione post datum corticem peruvianum subsecuta, epidemica intermittentium constitutio a Sydenhamo descripta, morborum ad nervos pertinentium per intermittentes febres absoluta sanatio, harum ipsarum causam proximam, duce Mortono (a), Swietenio (b), aliisque recentissimis, a fluido nerveo, vel a nervis, vel ab encephalo petendam esse quibusdam persuaserit, absque eo quod intra paroxismorum intervallum stimuli compareantur, qui postmodum in sanguinem affundantur, nos equidem non plurimum hærebimus in hujusmodi opinione deneganda. In primis enim Albinianæ observationes, vel ob ipsam cerebri structuram, non vulgarem iniciunt dubitationem de spirituum animalium existentia. atque si Albino hac de re non plurimum esset concedendum, quam parum a spiritibus animalibus pro antedictis phenomenis intelligendis expectandum sit, declaravit jam Gorterus [c]. Cetera ab intermittentium febrium causis antecedentibus, a subjectis, quæ adoriuntur, ab effectibus, quos conducunt, plane infirmantur.

XIX

At quamnam potissimum explicationem tremor febrilis poterit recipere? Minorum vasculorum imminuta diametro, hærentibus fluidis, vel tarde motis, nervi comprimuntur, arteriarum pulsatione compressio illa modo juvatur, modo imminuitur. Inordinata hujusmodi compressione nervea vis in actionem adducitur, qua stimulus ad musculares usque fibras traducitur: hinc ratio omnis explicandi tremorem febrilem, vel ex eo confirmata, quod crassitudinis in fluidis, contractionis in vasis, perpetuam rationem teneat ipse tremor febrilis. Cur vero compressis nervis dolor non subsequitur? Non tanta in nervis compressione opus est ad potentiam nerveam commovendam, quanta ad dolorem excitandum. Sensus frigoris auctam sensibilitatis actionem patefacit: ejusdem vero causa si diutius, si intensius nervis fuerit adjuncta, dolorem ipsum præsto jam esse, experientia demonstrat.

XX.

(a) Epist. Respons. I pag. 387.
(b) Loc. cit. §. 757.
(c) Medic. Compend. Tract. 82. n. 9.

XX.

Diversi gradus evolutionis in eodem stimulo, vel in diversis stimulis multimode, eodemque tempore sanguinem conspurcantibus, ponunt duplicatas, atque triplicatas cum remittentes, tum intermittentes, febres compositas, subintrantes, hemitritæos, erraticas, proportionatas, aliasque non paucas ab accuratissimo Tortio (a) diligenter animadversas.

XXI.

Diversa conditio stimuli, diversus agendi modus cum in solidis, tum in fluidis, determinant febres benignas, depuratorias, putridas, malignas, perniciosas, colliquativas, atque coagulativas.

XXII.

Multiplices antecedentium causarum effectus, quibus vitia producuntur stimulum febrilem evolventia, hujus ipsius in actionem advocati producta, symptomata varia febrilem affectionem comitantia, difficilis morbosorum humorum per cutanea vascula progressio, febribus inde subortis varia nomina elargiuntur: hinc febres essentiales, symptomaticæ, comitatæ, exanthematicæ, quæ postremæ variam inde appellationem recipiunt & a symptomatum, & ab accedentium macularum, pustularumque ratione.

XXIII.

Aeris, & locorum, cibi, potusque diversæ conditiones, diversa anni tempora producunt febres populares, epidemicas, pandemicas, endemicas, vernales, autumnales: postrema hæc distinctio magnopere est attendenda, quoniam hujusmodi febres causarum antecedentium natura, modo invadendi, effectuum numero, ordine, qualitate longe discrepant.

XXIV.

Si quidem vernales benignæ plerumque sunt, breviorem habent decursum, omninoque corpus repurgando ipsum plenam advocant in valetudinem; secus contingit de autumnalibus, quæ nisi difficile profligantur, quæque obstructiones pariunt sæviores, icterum, hydropes, cachexiam, scorbutum, atque plerosque omnes chronicos morbos.

XXV.

(a) Loc. cit.

XXV.

Quin imo, maxime si ex duplicatarum classe fuerint, sæpe in continuas degenerant, easque plerumque acutas, sæpius cum remittentibus multimodis consociantur, atque proprium genium si conservant, urinarum conditione, epidemica constitutione, prima frigoris invasione dignosci, Sydenhamus (a), & Swietenius (b) docuerunt: atque hæc cognoscere plurimum interest, ut opportunis auxiliis admotis morbus ipse profligetur.

XXVI.

Putridarum febrium natura non una est, eademque; in eo conveniunt omnes, quod comitem habeant insignem humorum a naturali statu degenerationem, atque non vulgarem ad putredinem proclivitatem. hinc calor ille urens, quasi pungens, hinc peculiares, determinatæque conditiones urinarum, sudorum, fœcum, hinc transitus facilis in malignas, perniciosas, exanthematicas, aliasque febres graviores.

XXVII.

Ceterum hæc omnia cum a causarum antecedentium actione, tum a subjectorum constitutione, morbisque prægressis ita excipiuntur, ut variæ inde proficiscantur putridarum febrium species, quarum neque unam crediderim ad continuas continentes merito posse referri: non modo enim exacerbationes, quæ interdum paribus diebus, aliquando imparibus, atque nonnumquam quotidie præsto sunt, id suadent, sed vel ipsæ etiam evacuationes penitus videntur evincere.

XXVIII.

Porro non iis acquiescendum esse judicaverim, qui, duce Homio (c), aliisque Recentioribus, putridas febres, malignasque confundunt. Cautiones significavit Ellerus (d) ad hujusmodi morbos distinguendos, in eo fortasse non satis diligentes, quod unice malignas febres populariter grassantes, non vero sporadicas animadversione sua fuerit prosecutus.

XXIX.

(a) Loc. cit. (b) Loc. cit. §. 748.
(c) Loc. cit. part. 2. sect. 3. (d) Loc. cit. sect. 2 pag. 52.

XXIX.

Resonat undique in Medicorum vocibus, atque Commentariis nomen malignitatis: lætandum hominibus, quod non adeo frequenter morifero hoc morbo urgeantur. Quidquid horrendum acciderit, id malignitati morbi imputatur. consilium, improbant Glassius *(a)*, Haenius *(b)*, Huxhamus *(c)*, aliique nobiles Medici: antequam enim natura febris determinetur, assequi præstat, quæ a Morbo, quæ a Medico, quæ ab Ægroto concitentur vitia.

XXX.

At quænam tandem febres malignæ erunt nuncupandæ? numne exitiales omnes? Profecto non: sed illæ tantummodo, in quibus insolita, gravissimaque symptomata absque manifesta causa se produnt, non pendentia vel ab morbi causis, vel ab antecedentium ratione, vel ab subjecto ipso: hæc autem symptomata alias statim, dum incipit morbus, sese explicant, & vehementer conturbant, taliaque persistunt, alias vero a levibus orta initiis sensim invalescunt, dum summam vehementiam nacta prorsus jugulant, aut prope ducunt ad interitum: hinc febres perniciosæ eadem plerumque exordia habentes, ac salutares ipsæ.

XXXI.

Propterea hujusmodi febres in principio statim cognoscere citra epidemicam constitutionem magnum omnino opus est. Galenus easdem comparat ad primam plantarum vegetationem, quarum species nisi ab peritissimis Agricolis dignoscitur: symptomata dubia plurimum sunt: quæ pathognomonica sint, adhuc desiderantur. Aliquando brachiorum retractio, Galeno monente, aliquando manuum tremor, caloriſque conditio, Pringleo suadente *(d)*, nonnunquam, Haenio narrante *[e]*, nullus phlebotomiæ salutaris effectus, quem interea morbi conditio promittebat, augurium triste dabit, quod magis inde Hippocratico, aliorumque veterum Medicorum præcepto firmabitur, si in ægrotantis habitu, vultu, gestu, sermone, ac modis illa præsto fuerint, quæ neque a temperamento, neque a consuetudine, neque a morbo, neque a prægressis quibuscumque sint expectanda.

XXXII.

(a) Commentar. de Febrib. Commentar. I. [b] Thes. syst. Dissert. de Feb. pag. (c) Essays on the Fevers. Chap. VIII. (d) Loc. cit. pag. 296. (e) Loc. cit.

XXXII.

Sive vero epidemicæ fuerint malignæ febres, sive non, aut perniciosæ, aut alterius indolis, ubi jam sunt evolutæ, improvisa, virium absque manifesta causa prostratione illico se produnt, animi languores, syncopes brevioribus intervallis repetitæ accedunt, pulsus parvi fiunt, debiles, obscuri, inæquales, frequentissimi, sopor adjungitur gravis, aut acutus capitis dolor, convulsivique motus intensiores a diuturnioribus vigiliis excepti, atque a sævioribus cum ad dorsum, tum ad artus doloribus: exanthemata varia nonnunquam cutim exasperant, aliquando sudores colliquativi, diarrhææ, disenteriæ gravissimi morbi sævitiem amplificant.

XXXIII.

Non ita vero hæc sunt intelligenda, ut singula, quæ recensuimus, cum omni febre maligna consocientur, tanta enim, tamque diversa, atque funestissima symptomata humanum corpus sustinere non potest: hinc est, ut variæ sint febrium malignarum species, diversaque earumdem symptomata diverso gradu, & ordine evolvantur.

XXXIV.

Petenti vero a quonam principio illud propius efficiatur, quod febrium malignitate continetur, ingenue fatemur, nos omnino, prorsusque ignorare: divinum quasi aliquid esse, sidherans, fereque flatu agens, docuerat jam Hippocrates. Tenuissimum certe, summeque activum hujusmodi principium debet esse, quod facile adeo contagio communicatur, quodque organa præ ceteris vitalia ita inficit, ut vel primum gravissime sint affecta, indeque ad humores plerosque omnes vitiandos traducitur, eosque modo in crassitudinem advocat insignem, modo in tenuitatem vero morbosam. hinc coagulativus, hinc colliquativus humorum status.

XXXV.

Similiter haud facile ratio tradi potest, cur febres pleræque sive pandemice, sive epidemice grassantes genium habeant singularem, illumque conservent per totum morbi decursum, neque a peculiari aut temperamenti, aut prægressorum morborum indole perturbentur. Qui enim fit, quod epidemicis constitutionibus præsentibus ceteri morbi vel ad anni tempus, vel ad diversas regiones, vel ad peculiares idiosyncrasias pertinentes omnino plerumque oriantur? Qui, quod principium morbosum

sum partes ad labem jam concipiendam dispositas, atque alias ad morbum suscipiendum vel a levissimis causis aptissimas intactas fere relinquat, hisque unum symptomatibus se prodat, quæ populariter infestant? Qui, quod morbi alii per id tempus in epidemicum commutentur? Qui, quod eædem prorsus epidemicæ febres sub eodem coelo repetitæ, iisdem symptomatibus comitatæ, diversisque tantum temporibus evolutæ plane diversum curationis ordinem, modumque exposcant? Hæc visa sæpe, sæpius animadversa, nunquam tamen illustrata, humanum intellectum penitus superant.

XXXVI.

Constat porro epidemicas febres malignas, atque perniciosas per ea potissimum loca vagari, in quibus sive putridæ animalium corporum, aut infectorum, aut mortuorum exhalationes avolant, sive corruptæ vegetabilium particulæ effugiunt, in quibus strata adsunt paludosa, corruptisque aquis stagnantibus referta. hinc homines in nosocomiis, in castris, in carceribus, in locis humilibus viventes, ab ejusmodi febribus ut plurimum inficiuntur.

XXXVII.

Sequitur causa alia æque gravissima, eaque toti populo communis. cibi nempe, potionisque materia aliquando a soli, tempestatis, regionisque conditione alterata, nonnunquam ab hominum fraude, mutata, vitiata atque in veneficam quasi, & deleteriam indolem traducta. Hinc est, ut in annonæ caritate, nisi Legum, Principum, Magistratuumque autoritate publicæ res probe administrentur, ut plurimum epidemicæ febres evolvantur, additis nempe tritico, turcico grano, cerealibusque reliquis ad panis, atque ad quorumdam cibariorum constructionem iis particulis, quæ ut volumen amplificant, pondusque augent, ita utilitates omnes excludunt ab virium instauratione, ab sanorum, naturaliumque succorum confectione, ab nutritione demum ipsa pendentes.

XXXVIII.

Atque recensitæ causæ (36 37) si aut intensius egerint, aut conjunctim corpori fuerint applicatæ, deterioris indolis myasma exaltatur, quod pestilentiales febres constituit, in eo diversas ab antedictis, quod infensissimis illico symptomatibus se prodant, quod humorum inversionem longe citius produ-

cant, quodque insigni, majorique numero uno, eodemque tempore homines infestent diversæ penitus constitutionis: merces, homines, animalia ab infectis locis provenientia hujusmodi morbum, ad sanissima loca traducunt. Luget adhuc Civitas Vestra calamitates superioris ætatis, quas cum ciborum penitus sanorum sub aperto aere corruptio, tum insectorum absque manifesta causa interitus ante subortam pestis invasionem enunciaverunt. Unum timorem absque contagio pestem producere posse tradidit Helmontius *(a)*: equidem non concedo: neque ipse concederet Diemerbroekius [b].

XXXIX.

Multa Medicinam facientibus ardua sunt, vereque obscura: iis autem, quæ ad genium pertinent, naturamque morborum epidemice grassantium, arduum nihil fortasse magis, nihil obscurius. Sydenhamus vix potuit generales definire regulas *(c)*: tenebras nonnihil Sapientissimus dissipavit Boerhaavius *(d)*, qui aureis præceptis hanc Medicinæ partem locupletavit: utinam eadem Medici omnes ante oculos sibi constituerent? Id namque fieret, ut, cognita morbi natura, Medicus planam haberet, apertamque viam ad firmam diagnosim, ad prognosim certam, ad tutissimas curatorias indicationes conficiendas, indeque ad sævitiem morbi blandiendam, atque ad sanos ipsos præservandos.

XXXX.

Exanthemata nominavimus veluti socia malignarum febrium: diximus ab illis iisdem febres exanthematicas nuncupari: non ita vero id acceptum velim, ut putemus exhanthemata febris malignitatem semper enunciare: tempus, quo insurgunt, symptomata, quæ præcesserunt, quæque iisdem apparentibus accedunt, conditio macularum, pustularumque relate ad numerum, amplitudinem, colorem, elevationem, rem continent omnem. ad malignas vero exanthematicas referendas unice crediderim petechiales, miliares, atque variolosas aliquas. ceterum namque urticatæ, erysipelatosæ, scarlatinæ, aliæque id genus per se vix unquam malignitatis notas recondunt. Imo vero ex Riverii *(e)*, Lieutaudii *(f)*, Gorteri *(g)*, alio-

(a) *Tumul. Pest. pag. 871. 50.* (b) *De Pest. lib. 1. cap. 12.*
(c) *Loc. cit. sect. 1. cap. 2. & alibi.* (d) *Loc. cit. §. 1412.* (e) *Prax. Med. sect. 5. cap. 1. pag. 448.* (f) *Masse de Purpur. pag. 1.* (g) *Prax. Med. Syst. pag. 111.*

aliorumque fide constat petechias aliquando absque febre conspectas fuisse, atque nonnunquam Störckio (a), atque Haenio [b] observantibus, in febre continua malignantis experte erupisse.

XXXXI.

Summa cutaneorum vasorum debilitas, quæ plerumque graviores febres comitatur, insignis humorum acrimonia, sanguinis dissolutio, ingens vis, qua hic idem ad cutim propellitur, macularum atque exanthematum intelligendorum rationem indicant. siquidem ob antedicta hæret morbifica materia in extremis vasculis cutaneis, vel effusa stagnat cutim intra, & epidermidem, vel erodit vasculorum extremitates: atque pro diversa hujusce morbosæ materiæ indole, unaque pro intensiore, remissioreque actione causarum exanthemata, maculasque producentium, peculiares, diversæque exanthematum species exoriuntur variis omnino effectibus, & symptomatibus distinctæ: quemadmodum autem in exteriore corporis habitu exanthemata se produnt, ita iisdem viribus agentibus vix aliqua exanthemata esse crediderim, quæ internarum cavitatum, aut viscerum ipsorum superficiem, aliquando non occupaverint.

XXXXII.

Hæc generice dicta sint satis de febribus exanthematicis. sunt vero peculiares quædam earundem species, quæ prætermitti non possunt. Has inter miliarem eligo, atque variolosam. Miliaris fœminas magis, quam viros, potissimum autem eas inter gravidas, puerperas, junioresque invadens a pustularum conditione nomen desumit. hujusmodi pustulæ abeunt, redeuntque celerius, quam exanthemata reliqua: particulæ cutis liberæ vel asperitate corrugationeque, vel alterius generis pustulis, maculisque inficiuntur. Ceterum miliaria exanthemata album colorem plerumque referunt. hinc est, ut si quis febrim hanc cum Hofmanno (c) purpuram albam voluerit nuncupare, non ego magnopere contendam: revera namque illa comparans, quæ Hofmannus de purpura alba scripsit, cum iis, quæ de miliari multo prius protulerat Hamyltonus (d), video in multis ita convenire, ut utriusque affectionis uniusmodi sint characteres.

(a) Ann Med 1758, pag. 11, & alib.
(b) Dissert. de Feb. Petech. pag. 32., & alib.
(c) Dissert. de Purpur. Alb. (d) De Feb. Miliar.

XXXXIII.

Miliarem morbum triplicis generis esse clinicæ observationes Gerikium [a] docuerunt, essentialem nempe, Symptomaticum, & complexum: hujusmodi distinctionem Allionius (b) non satis commendat. quidquid vero de hac re sit judicandum facile contra Gerikium (c) Allionio concesserim [d] miliarium morborum nunquam absque febre contingere. Cujuscumque vero generis fuerit, incidit in corpora imbecilla vel ob nativam constitutionem, vel ob morbos prægressos, vel ob nimias evacuationes: hinc puerperis facile obvenit. Notaverunt autem nonnulli internum calorem, & anxietatem præcedere febrim miliarem, accedere virium peculiarem prostrationem, atque in hisce pathognomonica miliaris inditia sita esse. Urinam hæc satis vere dicta sint. Certe pulsus debilitatem a quibusdam in miliari febre constitutam Allionii [e] observatio non confirmavit. Videant ne contractum pulsum cum debili confundant. Reliqua symptomata miliarium pustularum eruptionem significantia pro anomalis a plerisque accipiuntur, & aliquando febris intermittentis paroxysmum exacte referunt, remanentque, donec pustulæ appareant, explicentur, emineant, deinde ceteris paribus mitescunt, ut in reliquis exanthematicis febribus contingere quotidie observamus.

XXXXIV.

Quæ vero causa sit, ob quam miliaris febris puerperas potissimum invadat, cur hujusmodi morbus veteribus Medicis, Homio referente (f), plane incognitus, elapso sæculo haud satis obvius, hoc nostro haud ita rarus, ut in Italia etiam, maximeque in Taurinensi ditione endemius factus fuerit, difficile est enarrare. Multa protulit Hofmannus [g], quæ cum uteri fabrica, ejusque operationibus, gestationis, & puerperii tempore, indeque utriusque productis continerentur, tum usum Thee, & Caffee respicerent: in hisce autem accipiendis non multo faciles sunt Taurinenses Medici doctissimi: hinc qui certum aliquid ea de re comparare sibi voluerit, multum habet laborandum.

XXXXV.

(a) Tract. de Feb. Miliar. (b) Loc. cit. pag. 17. (c) Loc. cit. Cap. I.
(d) Loc. cit. pag. 34. not. 5. (e) Loc. cit. pag. 38. not. 7.
(f) Loc. cit. part. 4. sect. 4. §. 1. (g) Loc. cit.

XXXXV.

Constat porro miliarem febrim per intervalla recurrere sub quibusdam aeris constitutionibus: constat materiam id genus exanthemata constituentem, quocumque ordine fuerit evoluta, tenuem esse, stimulantem plurimum, valde perniciosam, facileque Allionio [a], & Grunvaldo (b) docentibus, contagio, ac vel ipso contactu excipiendam. Hinc pestis veluti seminium miliarem febrim suspicatus fuerat Diemerbroekius (c), atque Allionius (d) post ægrorum considerationem, cadaverumque sectiones hydrophobiæ veneno ipsam, miliarem materiam comparare non recusat. Hæc vero ad acidum ne accedit, an ad alkalinum? Allionius suam de hac quæstione silet opinionem. ante ipsum quadam attigerat Hofmannus quibus myasmatis indolem proponeret [e]. Postea vero rem aliquanto ornavit Ramazzinus (f), atque ita quidem, ut non vulgari conjectura assequatur ad acidam acrimoniam ipsum tendere myasma miliare.

XXXXVI.

At vero summam considerationem variolæ expostulant. In Ægypto, & interioribus Arabiæ duodecim ab hinc seculis primum se manifestaverunt. Laboravit plurimum Halintus (g) ut variolas ex Græcorum monumentis erueret: accessit Trillerus (h) id ipsum contendens. Quam vero infeliciter ab hoc opere evaserint, Werlhofius significavit (i). Injuriosum profecto Græcis medicinæ cultoribus est variolarum notitiam ipsis concedere, dum iidem attente, diligenterque morbos omnes vel etiam levissimos persequentes, pleno possmodum in silentio circa variolas, gravissimum nempe circa morbum versantur. Dolendum equidem nobis fuisset hujusmodi morbum tardé nimium humanas calamitates amplificavisse, Græcorumque tempora non attigisse, nisi gravissimus extitisset Sydenhamus, qui magno Homii [k], atque Boerhaavii (l) judicio sapienter adeo de hoc morbo conscripsit. Sane qui Boerhaaviano utatur consilio, facile intelliget nihil eorum, quæ ab Hippocratica dexteritate, atque diligentia expectati potuissent, ipsi effugisse Sydenhamo.

 XXXXVII.

[a] De Miliar. Orig. progr. &c. & 101. (b) Append. ad Volum. 6. pag. 43
(c) Loc. cit. (d) Loc. cit. cap. 12. (e) Loc. cit.
(f) Tract. Theoret. Tract. de Febrib. lib. 2. sect. 2. cap. 6.
(g) Variol. antiq. nunc primum e Græc. eruta. (h) Epistol. bin. adject. ad Opusc. Halin.
[i] Disquisition. Med. & Philolog. de Variol. & anthrac.
(k) Loc. cit. Part. IV. Sect. VII. § 1. (l) Loc. cit. § 1379.

XXXXVII.

Non ergo variolarum seminium aut ingenitum hominibus est, aut a materno utero, vel ob menstruum sanguinem, vel ob amnii liquorem repetendum. minus ipsum perquirere expedit in cruditatibus lactationis tempore occurrentibus, propterea non iis assentior, qui aut cum Hoffmano (a) cum Willisio, aliisque peculiares corporis partes commemorant, in quibus variolosum seminium ad tempora usque expulsionis possit considere, aut cum Hahnio (b) arbitrantur per variolas vasa cutis sanguifera evolvi, quemadmodum per morbillos evolvuntur lymphatica. Hinc cognoscere quisque potest, quantum nos opinioni nuperrime a de Carolis propositæ fidamus. (c)

XXXXVIII.

Contagiosi generis morbum variolæ constituunt: invadunt, Sydenhamo monente (d), cujuscumque ætatis homines, nisi prius hoc morbo laboraverint. Contra primam partem differit Cotunnius [e]. Lis non adeo facile dirimi potest: quæ apud Vos aliquando visa fuerunt, Ruyschii (f), atque Watsoni (g) observationibus authoritatem conciliant. Relate ad secundam partem post Meadium (h), Sydenhamum tuetur Swietenius (i). num vero variolis secunda, aut tertia vice apparentibus, semper de spuriis variolis sit judicandum, Diemerbroekii observationes determinabunt (k).

XXXXIX.

Sporadice nonnumquam, frequentius vero epidemice insurgunt: verno tempore incipiunt, æstate crescunt, autumnali cedunt, hyeme languent, sequenti vere non raro iterum apparituræ, ut eodem ordine progrediantur. Infantes, ac pueros frequentius, minus sæpe adolescentes, ac juvenes, rarius ætates consistentes, omnium rarissime senes adoriuntur. Variolarum vero epidemice grassantium genius ille esse solet, ut quo citius in hyeme, Boerhaavio monente (l), incipit morbus, eo sævior, quo tardius, eo mitior constitutio inde oriatur. Ceterum nullum fere morbum esse credidit Huxhamus (m) in quo

---

(a) Medicin. System Tract Vol IV pag 144.
(b) Variol: ratio pag 11., & seq (c) De Variol. eorumque Causa Efficiente.
(d) Sect III Cap 1 pag 6 (e) De Sed. & Caus Variol §. LXV, & seq
(f) Thes. Anat Vii Num XVIII (g) Swieten. Com in Boerhaav. ad §. 1380.
(h) De Variol, & Morbil. pag 74 (i) Loc cit §. cit.
(k) Oper Omn pag 190., & seq (l) Loc. cit §. 1380. (m) Loc cit pag 233.

quo diversæ solidorum, fluidorumque constitutiones majora in symptomatum varietate parerent discrimina, quin imo tradidit Ellerus [a] eandem variolosi contagii materiem eodem sub cœlo, iisdemque in ædibus diversas satis variolarum species procreare.

L.

Variolosum seminium subtile admodum est, exigua dosi effectus edens insignes, diutissime indolem retinens contagiosam, aere, contactu, insitione, vel ab sanissimis recipiendum, non illico constanter, aut determinato semper temporis intervallo corpus afficiens a quo susceptum fuit, imo iners aliquando, nullamque in actionem deductum, nullo satis noto antidoto subigendum, atque plerumque diutissime infixum corpori, quod occupavit, perque id etiam tempus facile ab aliis excipiendum, non unice, ut quibusdam placuit, aliquibus tantum humorum nostrorum particulis communicandum, sed universam fluidorum massam inficiens, atque ad cutim tandem deponendum forma minimarum pustularum, phlegmonem primo imitantium, mox majorem in amplitudinem advocatarum, demum suppurantium.

LI.

Omni ad cutim varioloso miasmate deposito, si pustularum numerus non valde insignis est, eatundem eruptio morbi confinia determinat: nimirum pustulæ sua stadia percurrendo post blandam maturationem exsiccantur. Ubi pustulæ omnem cutim vestientes, clausæ, perspirationem impediunt, resorbetur post maturationem pus, novaque insurgit febris gravis, atque periculosa. At si omni excludendo varioloso principio impar est cutis, aut vires minus aptæ, persistit febris, novisque accessionibus se prodit, symptomata funesta secum trahit, atque aliæ iterum pustulæ continuo prioribus succrescunt. Hisce continentur pleræque variolosæ febris differentiæ.

LII.

Nominibus discrepant Auctores in variolosæ febris temporibus recensendis, re autem ipsa conveniunt. Præparatio, expulsio, maturatio pustularum opus omne continent: hinc status contagii, inflammationis, abscessus, resorptionis, indeque se-

---

(a) Loc. cit. Sect. IV. pag. 107

febris secundaria. Diverso autem tempore stadia hujusmodi continentur pro diversa constitutione miasmatis variolosi, antecedentium, atque subjecti, proque numero, atque indole pustularum in discretis, aut confluentibus, in benignis, aut malignis variolis.

L I I I.

Tempore præparationis symptomata inflammatoriam febrim commonstrant: hinc variolarum diagnosis eo in stadio aliquanto est dubia. Signa pathognomonica, quæ certo futurarum variolarum evolutionem suadeant, aut non satis constant, aut unice, Cotunnio [a] monstrante, repetenda sunt a pulsu illo æquabiliter frequenti, nulla conspicua remissione insignito, cum arteriæ mollitudine, cumque indiciis debilitatis conjuncto. Ceterum vero Epidemica constitutio aut præsens, aut prægressa, ætas ægrotantis, qui nunquam variolas fuerit passus, habueritque commercium cum aliis hoc morbo laborantibus, non vulgarem Medico injicere possunt suspicionem de futuris variolis: atque id quidem, duce Swietenio, (b) certo poterit prædicere, si hujusmodi æger id morbi genus metuens improviso hominem ob oculos habuerit a variolis consurgentem, rubrisque adhuc maculis fœdatum, atque subito horrore percutiatur.

L I V.

Pustulis ad cutim jam apparentibus ab earum situ, figura, colore, amplitudine, ceterisque conditionibus variolarum præsentia extra dubium ponitur. Futura febris secundaria continet nihil, quod non probe possit explicari. Quærenti vero num feliciter satis incesserit Cotunnius in iis, quæ de libero perennique sicci aeris attactu edocuit pro pustularum eruptione obtinenda, (c) equidem nos & Meadii, [d] & Boerhaavii (e) autoritatem plurimi facientes, ingenium quidem, solertiamque Cotunnianam possumus admirari, omnino vero planeque in ejus opinione conquiescere non possumus.

L V.

Hæc de acutis febribus dicta sint satis: præstat vero unum addere, vel alterum, quod ad chronicarum indolem attingendam conducat. Acuti morbi non feliciter judicati, prægres-

sæ

[a] Loc. cit. § LXXV (a) Loc. cit. Com. ad 1387
[c] Loc. cit. § XLIX, & seq. (d) Loc. cit. Cap. III.
[e] Prax. Med. Lond. edit. Tom. V. pag. 310.

sæ evacuationes insignes, infirmior solidorum constitutio aut primigenia, aut acquisita, victus incongruus, locorum humiliorum incolatus, vigiliæ diuturnæ, labores assidui, animi contentiones productæ, universum solidorum systema infirmant, debilitant, prosternunt.

L V I.

Laudabilium propterea succorum inopia præsto est, sequitur impotentia ad sanos liquores naturali qualitate, atque copia conficiendos, non tardant inutiles particulæ, quæ humoribus affusæ sanguinem ipsum perturbant, inficiunt, stimulisque exonerant. Hinc febris, quæ initio vix est manifesta. Vires moventes debiles, infirmæ, imbecillæ, prostratæ vix possunt ita reagere, ut illam excitent febrilem commotionem, qua corrigantur, subigantur, evacuentur: propterea febris sensim progreditur, tarde incedit, quacumque admota vel levi causa non nihil increscit, postea remittit, eaque symptomata secum trahit, quæ & antecedentia respiciant, & conditionem subjecti ipsius, & demum diuturniorem febris præsentiam consequantur. Ab istorum autem symptomatum diversitate, ordine, ac modo febrium inde varii gradus, distinctæque species progrediuntur. Hinc febres lentæ, hecticæ, nervosæ, marasmus, senium Philippi, (a) morbi veteribus dicti pituitosi, atque cardiaci, aliæque id genus Chronicæ febriles affectiones.

LVII.

At quæcumque tandem fuerit febris vel ob diversum ejusdem gradum, vel ob stimulorum naturam, vel ob viscerum labem, vel ob multiplicia humorum vitia, vel ob ipsos varios febriles effectus, eadem aut in salutem desinit, aut in alium morbum, aut in mortem.

LVIII.

Nimirum ubi febrili sub commotione ita stimuli corriguntur, ut vel sanis, quod rarius evenire consuevit, assimilentur humoribus, vel per emunctorium aliquod e corpore eliminentur, febris desinit in sanitatem: hinc post statum sequitur declinatio, hinc præternaturalium particularum mutatio, hinc crises variæ, atque aliorum morborum per febres sanationes.

LIX.

(a) *Mercurial. de Febrib.*

L I X.

Ubi motus febrilis vel ita vehemens fuerit, atque magnus, ut solida lædendo vasorum distractionem, aliasque injurias portendat, vel imbecillus ita, ut stimulis subigendis, mutandis, excernendis impar sit, febris desinit in alium morbum: hinc viscerum obstructiones, tumores, abscessus, hinc affectus omnes, qui pendent a vitiata, perturbata, alterata sanguinis constitutione.

L X.

Quod si nimio febrilis actionis impetu, stimulique indole, solida destruuntur, vitæque organa inficiuntur corrosione, distractione, obstructione, indeque deperditi impeditur restitutio, febris desinit in mortem: hinc cordis, pulmonum, cerebri, intestinorum inflammationes, suppurationes, gangrænæ: hinc anginæ inflammatoriæ, gangrænosæ, hinc aphtæ primas vias occupantes.

L X I.

Quæ initio, augmento, statuque febris contingunt, monent quænam declinatio futura sit, quinam alius exitus sit eventurus, aut demum qua via morbus ipse sit judicandus: hinc prognosis, quam præstat desumere a caussis antecedentibus, ab aeris constitutione, a subjecti viribus, ætate, genere vitæ, morbis prægressis, a læsarum functionum numero, a gradu læsionis, perturbationisque, aut impedimenti inde nati ad vitam ipsam vivendam, demum ab iis, quæ concomitantur.

LXII.

Est ne vero tanta fides, atque fortuna determinatis quibusdam diebus danda, ut, quæ Hippocrates, *(a)* atque Galenus *[b]* de criticis, de prænunciis, de intercidentibus, de vacuis diebus edocuerunt, satis cum naturæ operantis, modo, ordineque conveniant? An ne quæ imparibus diebus exacerbantur acutæ febres, imparibus post modum judicantur? Quæque paribus, die pari, exemplis hippocraticis Virginis Larissææ, Philisci, Pythionis? An ne chronicarum quarumcumque febrilium affectionum solutio, paribus semper diebus continetur? Difficilis ad hæc omnia responsio.

LXIII.

(a) In Aph. in lib. Epid. Prognost., & de Crif. (b) In Tract. de dieb. decret., & alib.

LXIII.

Inter Antiquiores Diocles, Herophilus, Asclepiades [a] ipse, magnus profecto homo, & veritatis amator, Hippocratis regulas non satis commendaverunt. Silentio præteribo Fracastorium, (b) qui quartos unum dies crisibus consecrando singulari sententiæ causam omnino singularem accomodavit. Houllierius Hippocratis (c) interpres rarius hac de re Autori suo potuit acquiescere, neque Waldschmidius, (d) Baglivius, [e] Bellinius, (f) Pringleus [g] proprio judicio, observationibusque innixi procul ab Houllierio recesserunt. At quis ignorat & pretium summum quod Hippocraticis præceptis restituit Haenius (h) & quanto sint in honore apud Gaubium [i] qui Hippocratis autoritatem, Galeni fidem, naturæ virtutem, atque ordinem, una sententia complectitur? Equidem hac de re, si quid esset mihi proponendum, neque rejicerem semper criticorum dierum ab Hippocrate traditas doctrinas, neque iisdem nimium semper adhærerem: atque si aliquando minus ipsas observatione confirmatas intelligerem, aeris, locorum, subjectorum, morborum ipsorum diversam indolem in causam advocarem.

LXIV.

Porro si non penitus Hippocrati fidendum esse crediderim in criticis diebus exacte determinandis, facile quisque conjicere poterit quid ego Zeviano [k] concesserim in iis, quæ pertinent ad statuendam generalem regulam pro judicio diuturnitatis, periculique ipsarum febrium: scilicet docuit Zevianus, totidem dies principium febris ab ejus judicatione constanti omnino ordine dividere, quot intercesserunt inter primæ causæ actionem, & ipsum morbi initium: Ex cognita vero per hujusmodi regulam futura morbi diuturnitate, eademque comparata cum ægri viribus, cumque præsenti ægrotationis ipsius vehementia, periculi rationem desumendum esse protulit. Opinio hæc uni hactenus Autori est probata, neminem, quod ego sciam, habuit fautorem: forte neque etiam habebit imposterum.

LXV.

(a) Compostion de Crisib., & dieb. critic. § 9. 10 (b) De Caus. dier. critic.
(c) Magni Hip. Coac. Præsagia. (d) Fundam. Medicin. [e] Prax. Med. pag. 140.
(f) De Mission. Sanguin. pag. 180 (g) Loc. cit. pag. 145.
(h) Rat. Med. Vol. I. P. I. Cap. IV. (i) Instit. Pathol. Med. § 893.
[k] Nuovo Ponte da cavar pronostici nelle malatie Part. I. pag. 9, 1 seq.

LXV.

Ad febrium autem judicium ferendum cruditatis, coctionis, crisiumque naturam, modum, atque varietatem probe cognoscere præstat, tumque indicia multiplicia, quæ pro peculiaribus, diversisque criticis secretionibus peculiaria sunt, & diversa. Judicatoria docuit Hippocrates (a) non judicantia, partim læthalia sunt, partim difficilis judicii. nimius essem in iis, quæ vel etiam pleno sermone, vix possent attingi. multa, utilitatisque plena cum antiqui, tum Recentiores edocuerunt, inter quos Sydenhamus, Huxhamus, Boerhaavius, Swietenius, Pringleus hanc Medicinæ partem locupletaverunt: ceterum de prænoscendarum crisium methodo Recentiores apud optime meritus est Hispanus Solanus, [b] qui egregias a pulsu desumtas observationes conscripsit, e quibus plura deprompsit Nihellius, (c) qui raro exemplo ex Anglia in Hispaniam ea de causa profectus, auctor esse potuisset Gandinio (d) ad meliora nobis communicanda.

LXVI.

Sunt vero in determinatis quibusdam febribus occasiones quædam, a quibus judicia nonnulla desumi possunt ad certa, constantissimaque præsagia aucupanda. Constat enim ardentes febres periculi esse plenas, sanguineumque sputum, urinas cruentas, peripneumoniam, intestinorum inflammationem, convulsiones causo laborantibus accedentes, rem penitus in angusto ponere. E contra largam sanguinis hæmorrhagiam opem ferre singularem, tradito a Veteribus præcepto accepimus: contendit id Meadius, [e] qui quamcumque in febribus hæmorrhagiam, quacumque ex parte fiat improbandam esse censet. Veterum doctrinam nostrorum temporum experientia sustinet; num vero hæc eadem hæmorrhagia quarto die contingens ceteris estimatis mala cum Hippocrate (f) sit judicanda, non facile definiverim: revera si periculum recondit, id non in diei paris ratione situm esse contendo. Cur autem febrim hanc critico sudore rarissime solvi protulerit Ellerus, [g] equidem non satis intelligo. forte Boerhaavius (h) ipse non plane concederet.

LXVII.

(a) Eold. Lib. 12. (b) Lap Lyd Apollon. (c) Nov rar. obs. circ. cris. praedict.
(d) Elementi dell' arte Sfygmica. (e) Monit, & Prac. Med. Cap. I Sect. II pag. 19.
(f) In Coac. num. 127. (g) Loc. cit. Sect. III pag. 57. (h) Loc. cit. §. 741.

LXVII.

Putridarum prognosim incertam semper esse, docuit Homius [a] id forte nimium videbitur iis, qui laudatissimo Veterum consilio ab quotidiano symptomatum augmento, vel decremento harum febrium prognosim expostulant: etsi postremos istos magnopere laudem, vix tamen aliquam esse crediderim putridam febrim, quæ non periculum portendat. Pulsus debilitate, intermittentia, inæqualitate peccans, respiratio difficilior, dolens, frequentior, vires imminutæ, imbecillæ, urinæ paucæ, crudæ, aquosæ, turbidæ, absque sedimento, excretiones tardæ, laboriosæ, difficiles, non conferentes, exiguæ quantitatis, malum omen enunciare consueverunt.

LXVIII.

Intermittentes porro diuturnæ plerumque esse solent, contumacioresque: nisi vero aut incongrua remediorum administratione natura ipsa perturbetur, aut morborum prægressorum, constitutionis subjecti, ætatisque ipsius ratione alienum aliquod accesserit, vix unquam per se læthales sunt. Ceterum aut duplicatæ fuerint, aut productæ, aut complicatæ, aut cum remittentibus conjunctæ, aut malignæ, aut perniciosæ, a gravitate eorum, quæ adjunguntur, periculi majoris, minoris, instantis, proximi, remoti præsagia aucupantur. Hæc Tortius [b] singulari diligentia fuit prosecutus. Milliorius (c) autem nuperrime paucis omnino paginis ad utilissima præcepta redegit.

LXIX.

Quid dixerim de infaustis judiciis a malignis ipsis vix separatis? Quæ superius de hujusmodi Febribus enunciavi, aperte docent magnum valde Medicis prostare negotium, ubi de earum prognosi sermo fit. hanc ipsam monuit Pringleus (d) ab aliquo tantummodo earum symptomate deduci non posse, singula vero in unum accepta multo plus fallere, quam aliis in morbis. Porro malignarum febrium genera, species, gradus, tempora, adjuncta, varia multimode sunt. A principio spes affulget: gravis metus excipit incrementum: status singulis fere momentis exitium minatur, eoque magis verendum est, quod plerumque, non modo gravissima symptomata jam evoluta,

C com-

(a) Loc. cit. Part. III. Sect. III. § IX. (b) Loc. cit.
(c) Trattati delle Febbre maligne, e della Pernic. &c.
(d) Loc. cit. Part. III. Cap. VII. § III. pag. 303.

compescere, aut detrahere extra Medici potestatem quasi videatur, sed quod eadem præcavere laboriosum valde sit, atque difficile. Declinare interdum videntur hujusmodi febres, sed non naturæ victoria, bene vero languidis, oppressis, cedentibus omnino viribus, morbosoque principio interea operante ad easdem magis, aut coercendas, aut profligandas, & ad machinamentum ipsum ab actione protsus omni, reactioneque prohibendum, indicio desumpto ab exanthematibus, ab excretionibus copiosis, & repetitis, ab irritabilitatis, sensibilitatisque defectu imminutione, fereque impedito exercitio.

LXX.

Neque dissimilia excogitanda esse crediderim de morbis popularibus sive pandemice, sive epidemice grassantibus, maxime si gravia symptomata ipso statim in morbi initio se prodant, viresque fatigent, atque prosternant. Ex cognito autem cum genio epidemico, tum natura aeris, ac soli, tum constitutione subjecti, tum prægressorum genere, tum demum ex attenta juvantium, atque lædentium contemplatione, non infideles prognosticas leges Boerhaavius, [a] & Hasenöhrlius tradiderunt. (b)

LXXI.

Tempora febrium, in quibus maculæ, aut pustulæ erumpunt, earundem amplitudo, color, gradus elevationis, contenta, symptomatum levamen, aut ingravescentia, morbi quibus adjunguntur, quid timendum, aut sperandum in exanthematibus sit, penitus significant. Hinc est, ut, Allionio, [c] atque Haenio testantibus, (d) in miliaribus febribus infortunium ultimum eo minus tardet, quo confertiores exstiterint pustulæ, quove citius apparuerint, quod cum sæpius evenire consueverit, cumque gravissimorum Medicorum testimonio compertum sit, miliarem febrim plerumque esse symptomaticam, patet inde quam gravis morbus sit, atque periculosus, maxime si corpora adoriatur impuriora, atque ad convulsivas affectiones proclivia, aut mulieres invadat vel utero gerentes, vel puerperas, sintque pustulæ minutæ, vix elevatæ, pellucidæ, rubramque habeant basim, atque identidem

subito

(a) Loc. cit. § 1412 (b) Hist. Med. Morb. Epidem. &c.
(c) Loc. cit. § 82. (d) Thes. Sist. , & de Miliar.

subito appareant, subito retrocedant. Pessimum vero est, ubi eædem retropelluntur omnino, atque ubi frigescentibus exterioribus æstus summus intus persentitur. Cum vero nulla febris sit, Meadio docente, (a) quæ miliari faciem multiformem magis ostendat, idcirco, vel ob id ipsum, in prognosi facienda, omnem Medicus adhibeat cautionem.

LXXII.

Neque minus prudens sit, ubi de variolis sermo fuerit: Meadiani moniti (b) Swietenio, (c) aliisque probati recordetur, ut non inde pertimescat insignes evacuationes, quæ variolas ipsas præcesserint: eorum non obliviscatur, quæ de febre variolosa absque variolis Sydhenamus, (d) aliique docuerunt: epidemicam variolarum indolem, ægroti ætatem, temperamentum, febrisque inflammatoriæ vehementiam ob oculos habeat, atque ab his omnibus prognosticas regulas conficiat: non vero spem ponat in cita nimium pustularum eruptione, neque in eadem longius protracta, non in exiguo pustularum numero, nisi etiam symptomata levissima adjungantur. Aliquando enim, Mortono, (e) atque Huxhamo (f) adnotantibus, discretæ variolæ conspectæ sunt indolem referentes pessimarum confluentium.

LXXIII.

Etiamsi vero Kirckpatrickii [g] opinionem non penitus habeam acceptam, laudaverim tamen illas variolas, in quibus pustulæ minori numero faciem infestant, easque damnaverim, quæ cristallinis, verrucosis, silliquosis, fuscis, viridibus, nigris, depressis, aut subito amplificatis pustulis coalescunt, quæque materiam a bono pure recedentem asservant, plurimumque verendum crediderim, si vel per universam cutim variolæ confluxerint, vel alterius generis exanthemata loca a variolis libera occupaverint.

(a) Loc. cit. Sect. IV pag. 70, & seq.
(b) De Variol. & Morbill. Cap. IV pag. 70., & seq.
(c) Loc. cit. ad §. 1382. (d) Loc. cit. Sect. I cap. II pag. 50.
(e) Pyretolog. Cap. II pag. 171. (f) An Essay of Fevers pag. 138.
(g) The Analys of Inoculation pag. 154.

LXXIV.

Si febris secundaria ante pustularum retrocessum appareat, malum est, malum item, si in confluentibus, atque depressis salivatio deficiat, aut hæc eadem cum faciei inflatione cesset, quin una tumeant aut manus, aut pedes: pejus est, si deficiant vires, si delirium accedat, si urinæ plurimum pallescant, aut ipsa variolosa materies ad nobile aliquod viscus feratur.

LXXV.

Chronicarum febrium prognosis non una est eademque: causarum vis, & actio, ægri constitutio, morbi diuturnitas, symptomata accedentia viam sternunt ad judicium ferendum. si morbus recens est, cæteris paribus, non difficili negotio profligatur: at ubi a longo tempore invasit, multiplices functiones, quæ multimode læduntur, ulteriorem morbi progressum, ipsumque læthalem exitum constituunt, quem prope jam manifestant sudores copiosi, diarrhæa colliquativa, urina oleaginosa, facies hippocratica. In nervosæ autem febris prognosi illa ne præstat tenere, quæ de surditate docuit Homius? (a) Equidem non ab ipso dissentiendum esse arbitror.

LXXVI.

Porro in febrium curationem descendendo animadvertere cum Celso[b] præstat, febrim affectionis genus esse, in quo & morbus est, & sæpissime Medicina: ægrorum namque plerique aut febre adjuvante sanantur, aut eadem perimente intereunt. Hinc ille magni nominis Medicus dici, & haberi debet, qui & febrim movere novit, & eamdem fovere, & accendere interdum, interdum vero cohibere, intercipere, coercere, semper autem ita regere, & paribus, quasi dixerim, ponderibus examinare, ut vel ea, quemadmodum Asclepiades, præcipue utatur ad remedium, vel si de ea vereri cœperit, subito subveniat, & tollat.

LXXVII.

Qua de re illi reprehendendi sunt, qui omnem febrim, priusquam opus exegerit suum, semper conantur tollere repetita venæsectione, & catharsi, quemadmodum veteres Galenici, & Recentiorum nonnulli; qui hisce præsidiis ægrorum vires

---

(a) Loc. cit. Tract. II. Sect. II. § 9 (b) De Re Med. Lib. III. Cap. IX.

res convellunt, non animadvertentes ex imbecillitate summum periculum esse, neque minus illi reprehendendi, qui semper febrim augent, ut morbum tollant, quemadmodum Helmontiani, adeo nihil horum constans esse potest, atque perpetuum.

LXXVIII.

Generalem febrium curationem excipiunt generales indicationes, quæ sequuntur. Febrili commotioni ita est respiciendum, ut neque debilior fuerit, propterea que impar ad stimulos subigendos, neque vehementior, indeque apta ad solidorum, fluidorumque vitia adaugenda, viribus sustinendis, humorum fluiditati conservandæ, symptomatibus mitigandis, stimulis corrigendis est consulendum: prospiciendum una, ut via, per quam natura morbosarum particularum expulsionem contendit, pateat semper. demum præstat totum in eo Medicum esse, ne per inopportuna præsidia naturam ipsam perturbet. Hujusmodi indicationibus cum in diversis febrium speciebus, atque temporibus, tum in multiplici ægrorum constitutione auxilia plurima sunt destinata, quorum nonnulla paulo post significabo. Interea ab iis juvat exordiri, quæ generalibus quibusdam præceptis regimen febrium maxime acutarum contineant.

LXXIX.

Brevitas morbi, vires digerentes vitiatæ, imminutæ, aut etiam inertes, periculum augendi stimulorum numerum, agendique modum, atque inde effectus, ostendunt raro in acutis febribus ægrotos cibo indigere. hæc cautum faciant Medicum in delectu, exhibitioneque ciborum, non vero ipsum impediant ab iisdem suppeditandis. Alimentum omne non prohibeat: hinc febrium initia inedia non excipiat, hanc ad quartum, vel ad septimum diem, aut ad judicationes usque non extendat, neque post hæc tempora iterum alternatim repetat ad febrim oppugnandam. Declarantur hæc omnia, cum a necessitate virium conservandarum, tum a periculo insignis mutationis excitandæ inposterum ab alimento ipso,

LXXX

Cibus exhibendus est præsente remissione, longe a futura accessione, ubi constet ultimo acceptum omnino jam fuisse concoctum: detur ea quantitate, quæ respondeat viribus, ætati, regioni, consuetudini, gravitati, temporibus ipsius febris:

ii propinentur cibi, qui stomacum, viresque non fatigent, qui laudabiliter subacti novos stimulos accendere impares sint, qui facili fluiditate se ipsos commendent, qui, omnibus æstimatis, aptissimi sint ad vires sustinendas.

LXXXI.

Potus demulcens sit, saponaceus, moderata dosi frequenterque assumptus, tepidus modo, aliquando calidus, interdum frigidus, constans mulso, oxymelle aqua diluto, decocto hordei, panis, graminis, avenæ, & similium, juribus ex carne juniorum pullorum, & vituli, aquis paratis ex infusione thée, ex succo limoniorum, citriorum, aurantiorum, ribesiorum, mororum, baccarum rubi idei, cerasorum nigrorum, addito saccharo, itemque pro opportunitate nitro, aut cremore tartari, aut ipsis acidis spiritibus Tissoto (a) adeo probatis.

LXXXII.

Hujusmodi haustu, vel in ipso febrium initio, secretiones omnes, excretionesque minus turbantur: iis ad augmentum, statumque adductis, laxata organa excretoria apertam tradunt viam ad utiles, ad criticas evacuationes. Eodem haustu acrimonia humorum abluitur, vis, & actio stimulorum corrigitur, infringitur: hinc orgasmus, sitis, humorum ad putredinem dispositio, nervorum affectiones minori gradu se produnt, evanescunt, aut non insurgunt: hinc respiratio liberior, vomitus, diarrheæ, aliarumque id genus symptomaticarum excretionum recessus.

LXXXIII.

Aere nimium aut frigido, aut calido nihil forte ægrotis perniciosius: primo raro utuntur febricitantes: damnatur vero, quod perspirationem imminuat, aut prohibeat, dolores, spasmos, diarrhæas excitet, internos tumultus augeat, naturæque motus perturbet, retardet, supprimat. Frequentius calidioris aeris, non renovati, non correcti, successive magis incalefacti, putridis imbuti exhalationibus injurias perentiunt: hinc respirationis difficultates, indeque per diversos gradus transitus ad pulmonum inflammationem: hinc profusi sudores, non utiles, non juvantes, non critici, sed nocentes, tenuiora dissipantes, viresque magis prosternentes: hinc in-

som-

(a) Avis au peup. sur la Santé.

somnia, deliria, exanthemata varia; hinc molestæ perturbationes a minimo frigore suscepto. hinc tarda, imperfecta, aut deficiens crisis earum febrium, quæ per alvum judicari consueverunt.

LXXXIV.

Ergo aer sit temperatus, stragulorum copia ægri non opprimantur: fenestræ, ac januæ, si tempestas non prohibeat, interdum pateant, sin minus, Halesiana machinamenta, vel auxilia cetera præsto sint, quæ ad aerem refrigerandum, corrigendumque utilissime sunt instituta. Si vires non impediant, ægroti erigantur quotidie, ut in lecto paullisper sedeant, apti inde evadunt, ut extra lectum corpore bene tecto, absque infortunio consistere aliquantulum possint: hinc opportunitas, ubi morbus postulat, ad pediluvia, ad balnea administranda: hinc inutilium, aut nocuorum sudorum profligatio, hinc felicior virium conservatio, hinc blandus, reficiensque somnus, hinc lecti restaurati, mutati, vestiti novis linteis, aut purgatis amœnitates, & commoda.

LXXXV.

Aliquando augmentum motus, interdum imminutionem postulat febris ipsa: hinc naturam ad alterutrum Medicus debet excitare. Debilitas fibræ, virium defectus impediunt uti exercitatione; supplent stimulantia, frictiones, cucurbitulæ siccæ, actio cantharidum, sinapismi & similia. Compescunt nimium motum, quietisque utilitates elargiuntur refrigerantia, diluentia, laxantia, demulcentia, anodina, blande evacuantia, ipsaque calida balnea.

LXXXVI.

Quæ symptomata febribus adjunguntur, plerumque obstaculo sunt Medico ad somnum, & ad vigiliam opportune moderandam: utrumque juxta diversas febrium species, atque tempora intra mediocritatis limites debet contineri; somnus vero non semper, non in omni febre est damnandus; a natura productus, aut a consuetudine ægrotantis, non a sopore comparatus, neque a medicamentorum abusu, vix infausto cum omine potest excipi: contrarias habens notas, periculo non caret. Docent id omne causæ, effectus, adjuncta, utilitates moderati somni, damnaque longius producti præsente valetudine; animadversio medica antedicta excipiens in statu morboso. Hinc cautiones quamplurimæ pertinentes cum ad scopos, tum ad tempora administrandi in febribus auxilia pro somno conciliando.

LXXXVII.

Animi pathemata omni diligentia avertantur cura, consilio, opera Medici, & adstantium: ille studeat suum ægrotum, petat a domesticis consuetudinem, mores, usus, atque interea vultu, sermone, gestu, hilaritate, modis, omnibus demum ita se gerat, ut singula placide semper agat, expediteque, ut ea ægrorum notitiæ subtrahat, quæ eorundem animos possent exasperare, ut sereno continuo vultu adsit, neque perturbetur, cum aut funestissima symptomata exitium portendunt, aut difficiliores ægri, indocilesque Medico sunt molesti.

LXXXVIII.

Quemadmodum absque sensibili quadam excretione vix per naturam solvuntur febres, ita per artem absque evacuationibus debito tempore, modo, ordine comparatis, raro discutiuntur. Hinc necessitas phlebotomiæ, aliarumque evacuationum per vias alvi, cutis, renum, aliorumque emunctoriorum, aut per abscessus, pro ut hæc omnia magis erunt probata locis iis, quibus natura vergit, magisque opportuna ad morbum sedandum.

LXXXIX.

Iis in febribus venæsectio utiliter administratur, in quibus sanguinis profluvium sponte superveniens prodesse consuevit: naturæ autem res permittenda non est donec opus expediat suum: acuties morbi, corpus robustum, vires morbosæ intense operantes, res naturales superstites sensim imbecilliores factæ, sanguinis redundantia, aut gravis inflammationis, aut dissilentis vasis periculum impendunt. hæc præcavere magnopere oportet, idque obtinebitur per ipsam phlebotomiam, quam tunc præstat instituere, cum vehemens morbus, plethora, inflammationis præsentia, aut metus, viriumque robur adfuerit. Firmus puer, rubustus senex, gravida mulier ferunt sanguinis missionem. Fluxus menstruorum, lochiorum, hæmorrhoidum, alia quæcumque hæmorrhagia, virium apparens dejectio, excessus diei quarti, alvus non prius laxata administrationem non impediunt, ubi morbus, vires, antecedentia, adjuncta eamdem exposcant.

LXXXX.

Tardiori venæsectioni obstaculo est virium prostratio, sanguinis inopia, coctio manifesta, suppuratio incepta, crisis proxima, nisi ad prostrema hæc solicitanda illa eadem evacuatio conduce,

ducere possit. hinc dexteritates, cautionesque practicæ, utiles magnopere, atque necessariæ.

LXXXXI.

Locus indicatur a causa morbi, a constitutione ægri, a symptomatibus, hinc scopi derivatorii, & revulsorii. Quantitatem, modumque significat ætas, temperamentum, vires, prægressa, extracti jam sanguinis conditio, indeque nata utilitas. Ad animi deliquium, vel ad largiorem una vice detractionem non est protrahenda; prodest multo magis exuberantem adhuc sanguinis quantitatem, nova iterum venæ incisione reprimere. Si a phlebotomia aliquid timetur, sanguinisque detractionem oporteat perficere, cucurbitulæ scarificatæ, aut hirudines præsto sint.

LXXXXII.

Vomitum, & dejectionem omnino rejicere a Medicina, ut Veterum nonnulli fecerunt, utique non convenit: interdum enim per vomitum, interdum per alvi profluvium febres sensim levatas fuisse experientia medica compertum est: constat etiam per eadem auxilia, integram aliquando valetudinem cito fuisse restitutam: idcirco hujusmodi præsidia probatissima sunt, modus vero in iisdem suppeditandis habendus est, ne nimia purgatione febres ipsas torqueamus.

LXXXXIII.

Ventriculus, proximaque intestini pars per os, altera vero intestinorum portio per alvum expurgatur: at citra purgationem, vel etiam cum a sudoribus utilis crisis expectatur, alvum moderari juvat, eamque præterquam circa judicationes, facilem semper constituere, nisi hac via morbus exitum petat. Ideo si ægrotis alvus non est laxa, atque prospera utentibus valetudine consuevit descendere, arte eam citari oportet; si autem alvo adstricta, indicia se prodant hærentium materierum, has ipsas ad inferiora præstat impellere, indeque alvus, vel supposito glande, vel injecto clystere est subducenda.

LXXXXIV.

Hinc vacuis intestinis, aut non infarctis, ab expeditiore diaphragmatis motu liberior respiratio, a minore intestinorum compressione æquabilior sanguinis, & humorum circulatio per eorumdem vasa, hinc impeditur, ne materies stagnando corrumpatur, neve intestina vellicet, aut in sanguinem ve-

mat

niat ad novos ſtimulos excitandos, vel ad aliunde ortos intendendos: hinc via aperta eſt, ſi natura aliquid ab interioribus corporis ſedibus per alvum expellere moliatur: hinc remediorum tranſitus in ſanguinem ea forma, quæ indicationibus reſpondeat, nullaque eorum ab inteſtinorum ſordibus aut conſpurcatio, aut retardata operatio.

LXXXXV.

Scire autem juvat purgantia medicamenta aliquando inter febrium initia neceſſaria eſſe: valentiora periculo non vacant: ideo præſtat vim nunquam inteſtinis inferre, ſed molliſſimis ſemper remediis inſiſtere. At plenam doctrinam pauciſſimis verbis indicavit optimus Medicorum. (a) Concocta purgare & movere oportet, non cruda, neque inter initia, niſi turgeant, plurima vero non turgent. Concotionis inditia habentur a tempore morbi, atque ab iis, quæ concomitantur. Turgentia vero deſumitur a ſenſu quodam moleſto circa primas vias hærente, qui aut per os, aut per alvum pletumque excuti poteſt, quique haud raro ventriculum, aut inteſtina ad evacuationem ſolicitat, atque invitat.

LXXXXVI.

Pro diverſitate autem loci, cui inhæret materia, pro multiplici ejuſdem indole, varia eſſe debet evacuationis ratio. hinc emetici, aut purgantis adminiſtratio, ad quam quidem inſtituendam plura attendenda ſunt, quæ reſpiciant habitum ſubjecti, ætatem, ſexum, vitæ genus, morbos, vires, aliaque id genus. Propterea neque in omnibus ſebribus, neque nimis frequenter, ut Galenici facere conſueverunt, purgatio, aut vomitio eſt ſuadenda. id quidem uſuvenire facile poteſt in quibuſdam Regionibus, aut quia id celi ratio patitur, aut conſuetudo ab ineunte ætate. Ceterum Celſus autor in primis magnus, atque probatus, ſubtiliores tradidit obſervationes adhibendas circa vomitum, & purgationem, quas Recentiorum induſtria vix potuit aliquanto ornare, aut plenius illuſtrare.

LXXXXVII.

Porro niſi turgeat materia inter initia morborum acutorum, non protinus purgare convenit, ſed expectare, donec inflamma-

---

(a) Hipp. Aph. 22. Sect. 1.

mationis vehementia repetitis venæsectionibus dempta fuerit, illudque intervallum purgationi concedere oportet, quod a febre magis liberum sit: hinc tempora remissionis opportunissima sunt: juvat aliquando inter initia accessionum vomitum movere, maxime iis, quibus sponte prodiens utilitatem impertit. Difficillimum vero est spatia arripere in febribus continuis continentibus, ad purgantia remedia exhibenda.

LXXXXVIII.

At ubi coctio perficitur, ubi crisis expectatur, ubi hæc ipsa præsens est, purgantia omnino sunt excludenda, nisi per tubum intestinalem ægrotationem aut judicari, aut judicatam iri, certo constet. Febrim vero potissimum acutam, dum inclinat, generali sententia docuit Harris (a) purgatione esse excipiendam, ne, quod olim docuerat Hyppocrates, relicta intus morbosæ materiæ particula morbum faciat recidivum. hujusmodi præceptum ita tenendum est, ut ad acutas omnes febres non extendatur, sed ad illas solum, quæ perfecte non judicantur, atque illud quidem cum experientia monstrante, tum Hippocrate (b) duce, asserere placet, scilicet, quæ judicantur, & judicata sunt integre, neque movere, neque novare oportet medicamentis irritantibus, sed totum opus naturæ sinere.

LXXXXIX.

Quod si copiosæ, tenues, crebræque dejectiones neque febres solvunt, neque adjuncta compescunt, blande equidem sunt comprimendæ; postulat id virium conservatio, morbosæ materiæ concotio, naturalium, atque criticarum evacuationum absolutio. Porro si dejectiones quædam valde obsint prodeuntes, plurimumque noceant repressæ, tunc a postremo hoc penitus se abstineat Mediens, iisque utatur, quæ & virium ulteriorem ruinam impediant, & peccantis succi contemperationem, quo magis fieri possit, concedant.

C.

Communem febribus omnibus crisim constituunt sudores, si vero cito nimium sub materiæ cruditate erumpunt, morbum augent, coctionem retardant, crisim impediunt, ceterum si constantes fuerint, tepidi, æquales, si universum corpus excipiant, præ-

(a) De morb. acut. infant. (b) Aph. 20. sect. 1.

præcesserintque coctionis indicia in urinis, tunc sudores certum præbent febris ipsius judicium: secus crudis extantibus urinis, nisi aliquid aliud accedat, copiosi etiam sudores ad criticos vix possunt revocari: attamen si circa accessionis finem appareant, non semper nocent: vasa namque deplent, copiam detrahunt morbosæ materiæ, & ad morbum tolerandum ægrotum disponunt, dummodo aut sanguinem nimium non advocent in spissitudinem, aut utiliorem aliquam evacuationem in morbi statu non cohibeant.

CI.

Ad sudores vero evocandos non sufficit coctionis tantummodo signa præcessisse: oportet ultro, ut cutis viam, præ reliquis aliis emunctoriis, natura ipsa aptiorem significaverit, quod patefaciet sensus caloris non urentis, cutis mollitudo, tendines ad carpum minus rigidi, lingua humida, potissimum autem pulsus pleni, molles, & valentes, atque ubi hujusmodi significationes apparuerint, sudores exprimendi sunt, idque assequi præstat diverso, & plane contrario remediorum genere, juxta subjecti constitutionem, febrisque ipsius qualitatem. Ceterum si utiles sudores, ii que qui sponte sua prodeunt, intus retineantur, arte sunt evocandi iis auxiliis, quæ fibram laxant, humoresque diluunt, atque resolvunt.

CII.

Ubi crisi aliqua febris non fuerit judicata, inter accidentia plurima, fereque omnigena, quæ contingere possunt, abscessus demum est expectandus, qui si post indicia coctionis in urinis appareat, criticus erit judicandus, conferetque plurimum, quando excretio quædam critica simul accedat, gravitatique morbi respondeat. Fomentis, inunctionibus, emollientibus, maturantibus, si locus aptus sit ad abscessum, materia morbifica invitanda, atque coercenda, dein, suppuratione facta, abscessum præstat aperire, apertumque servare ad omnem materiæ morbificæ excretionem. Si abscessus evanescat, aut minus opportuna parte primum prodeant, exitum peccantis materiæ rentare oportet, persiceresque illo evacuationis genere, quod prægressa, adjuncta, ipsaque ægrotantis constitutio accommodatum magis significaverint.

CIII.

CIII.

Jam vero dimissis generalibus hisce, operæ prætium est nonnulla adnotare pertinentia ad peculiaria quædam auxilia, quæ in diversis febribus utilitatem afferre consueverunt. Itaque aquæ gelidæ usus ad quasdam febres sanandas a priscis usque temporibus Hippocratis [a], Galeni (b), Celsi (c), Avicennæ (d), aliorumque veterum consensu in Medicinam admissus fuit, illumque Argenterius [e] in febribus inflammatoriis adeo probavit, ut arbitraretur, plena pocula frigidæ conferrim devorata supplere posse phlebotomiæ, quæ prius fuerit omissa. Id autem præsidii haud temere arripiendum est. In febribus ardentibus morbo tantum consistente, citra viscerum inflammationem, aut nervosarum affectionum præsentiam est instituendum: modus, quo suam perficit actionem, id ipsum suadet, atque hinc est, ut in putridis, atque in malignis plerisque febribus aqua gelida, vel in ipso etiam morbi augmento usurpata, singularem opem afferre conspecta fuerit. Veteres inter cautiones multas tradiderunt Aetius [f], & Celsus (g); inter Recentiores vero Cirillus (h), & Nicolaus Comes (i) utilissima addiderunt præcepta, quibus totum hunc locum copiose ita pertractaverunt, ut, qui eos consecuti sunt, vix quidquam huic argumento adjecerint.

CIV.

In Malignis, perniciosisque febribus, totus in eo Medicus esse debet, ut virium ruinam, atque ulteriorem sanguinis, & humorum degenerationem impedire, studeat diligentissime. Hinc pro varia ægrotorum conditione, diversoque febrium ipsarum tempore, Viperina, Camphorata, Succinata, Antiseptica, Volatilia, Alexipharmaca, Vesicantia, Sinapismos in usum advocet. Symptomatum vehementia aliquando auxilia quædam peculiaria expostulat: hinc interdum cum phlebotomia, tum cucurbitularum, aut hirudinum adpositio ex usu esse poterit: modus vero habeatur in sanguine ipso evacuando: plurimi namque, Pringleo adnotante (k), a malignis febribus absque hujusmodi præsidio convaluerunt, vix

D autem

(a) Lib. 4. de Morb. popul. (b) Lib. 9. cap. 5. (c) Lib. 7. cap. 9.
(d) Lib. 4. Tract. 1. cap. 7. (e) Comment. de Feb. pag. 103.
(f) Tract. 1. Serm. 1. cap. 72. 78. (g) Lib. 3. cap. 7.
(h) De Frig. in feb. usu. (i) Ag. Frig. Antiq. Meth. ad Prax. it. revoc.
(k) Loc. cit. part. 3. cap. 7. pag. 319. 320.

autem aliquis evasit eorum, quibus liberalius vasa fuerunt depleta: nonnunquam anticonvulsiva, aliquando opiata ipsa commoda plurima attulerunt, quæ non raro emeticorum exitram administrationem fuerunt consecuta. Ceterum cum is, qui maligna febre ægrotat, infecto plerumque in aere versetur, Pringlei monitu,(a) utilitates a ceteris auxiliis expectandas, vix poterit obtinere, nisi aeri ipsi primum fuerit consultum.

CV.

Febrium intermittentium non una est curatio. anni tempus, subjecti constitutio, diversa febris periodus, morbi accedentes, aliaque id genus plurima constituunt discrimina. Instante frigore in vernalibus, potentiæ ad ipsum excitandum contendentes, effectus harum potentiarum in vitalium functionum alteratione, læsioneque producenda, sanguinis conditio a Langrisio (b) observata in intermittentibus, ægrori aut senectute, aut morbis prægressis, aut temperamento, aut vitæ genere, ut plurimum debiliores, postulant haustum diluentem, calidum, leniter, blandeque alexipharmacum, frequenter, & parca copia assumptum, prosunt fomenta, vapores, atque frictiones extremis partibus admotæ. Modus vero sit, atque delectus in hisce omnibus, ne scilicet nimium solvantur humores, majorique facto motu, intermittentes in continuas degenerent.

CVI.

At caloris tempore cum antecedentia, tum symptomata curationem ordinem indicabunt. Pertinent ad hunc locum sanguinis missiones, clysteres emollientes, potus attenuans, diluens, refrigerans, subacidus. Atque postremum hoc præsidii genus, etiamsi duce Lommio, Langrisius [c] non satis commendare videatur, experientia tamen monstrante, utique non est contemnendum. Declinatione accedente Naturæ intentiones præstat juvare. non autem activioribus sudoriferis sudor est evocandus, sed iis auxiliis insistere oportet, quæ sanguini, atque humoribus id omne restituant, quod sudoribus dissatur, quæque debilitatis ægri viribus prosperant.

CVII.

(a) Loc. cit. pag. 214 (b) Loc. cit. § 376, & seq.
(c) Loc. cit. § 398. 399.

Præsente apyrexia, futuri paroxismi ratio est habenda, eamque deducere præstat ab iis, quæ prægressos composuerunt, a quibus cum remediorum, tum diætæ administrandæ modus, & ratio elucebit, indeque patebit quantum a frigidi aeris appulsu sit pertimescendum, quantum a moderatis exercitationibus, productoque somno sit expectandum, qui cibus sit eoneedendus, quibus horis, quantaque copia.

CVIII.

Vernales intermittentes vix plus a remediis expetunt, imo vero, nisi aliquid aliud aut epidemicum, aut ægroto peculiare, quid ultro postulaverit, omnino non aliis debent curari. Postquam enim sanguinem, humoresque alios repurgaverint, eito plerumque excedunt. Non ita vero facile autumnales ipsæ desinere consueverunt. In hisce furuti paroxismi frigus minuitur solventibus, attenuantibus, diaphoreticis diversimode propinatis, pro subjectorum, antecedentium, atque symptomatum varietate: primis sanguinis visciditati, lentorique consultum ducimus: postremis blandus excitatur sudor, fovendus per aliquot horas ultra consuetum paroxismi tempus: hinc minor fit, tardiusque contingit sanguinis cunctatio in exilioribus vasculis, frigus inde minus: hinc moleltiæ minores tempore caloris: hinc aliquando curatio omnis, totiusque febris profligatio.

CIX.

Hæc vero non ita sunt tenenda, ut in omnibus autumnalibus febribus præsidio esse judicentur: idcireo hujusmodi methodus minime prodest, aut certe non satis prodesse potest, si febris epidemica sit, si aliquid adsit cacochimiæ præcedentis, si viscus aliquod fuerit obstructum, aut ægri gracilis admodum sint. Similiter inutilis plerumque est, & aliquando damnum infert, si in primis viis coluvies humorum impurorum, aut pituitæ mucosæ, aut bilis excrementitiæ nidum fecerit, vel prostent cruditates ex cibis male degestis, aut incongruis. Hæc ubi adsint, hærentes hujusmodi humores augebunt febres, tuncque non expedit iis insistere, quibus imi, nens frigus tollatur, potius hercle, aut si humores educendi sunt, aut permittenda febris est, quæ eosdem subigat, immutet, concoquat.

CX.

Ubi igitur animadvertat Medicus, id subesse vitii in primis viis, curatio tentanda est per vomitoria, aut per purgantia pharmaca accomodata ad ægroti habitum, repetita pro symptomatum conditione, administrata apyrexia jam producta, sic tamen, ut omnem exercuerint actionem ante paroxismi invasionem. imo vero si Thomsonio [a] fides sit habenda, præstat aliquando, Asclepiadis, Celsique (b) exemplo, ipso ingruente febris paroxismo, emeticum propinare. Etsi vero in recensitis præsidiis instituendis Mortoni [c] timiditas nimia videatur, non tamen cautiones hanc super rem a Sydhenamio propositæ (d) sunt spernendæ. Ceterum vacuo a sordibus intestinali tubo, aut ab iisdem repurgato, emetica, & purgantia ut plurimum nocere consueverunt.

CXI.

Porro curandarum febrium intermittentium methodus tutior illa esse videtur, qua ex attenta prægressorum consideratione, exque cognita eorumdem actione, graduque læsionis in operationibus cum ante paroxismum, tum eodem præsente, illa offeruntur auxilia, quæ causam morbi subigant, atque avertant. Hinc est, ut si ab viscerum infimi ventris obstructionibus morbum provenire constet, tunc præstet in usum advocare succos concretos, extractaque plantarum antifebrilium, sales fixos Diascoridi adeo in similibus circumstantiis comendatos, unaque incidentia, & resolventia, atque ex ceteris tandem deobstruentibus cum blandioribus, tum si oporteat, activioribus, illa præsidia eligere, quæ ad tollendas obstructiones, feliciter possint conducere.

CXII.

Quod si intermittens autumnalis, aut epidemice invaserit, aut gravior fuerit, atque diuturnior, incideritque in subjectum vel temperamento, vel ætate, vel morbis pregressis imbecille, aut, quod rei caput est, si insigne aliquod symptoma paroxismum comitaverit, tunc ad peruvianum corticem est deveniendum, nimirum ut vel febris profligetur, vel ut inducțis impetratis, graviori symptomati prospiciamus. Extra hu-

---

[a] *Med. Essays. Vol. IV pag. 407* (b) *Lib. III. Cap. XIV.*
[c] *Loc. cit.* (d) *Loc. cit.*

hujusmodi conditiones suspectus plurimum est corticis usus, qui cum febres supprimat, neque causam morbi disperdat, naturæ propterea intentiones perturbat, retardat, confundit, atque nonnunquam etiam excludit.

CXIII.

Id autem non ita acceptum volumus, quasi Ramazzino duce, & autore, judicemus in benignis intermittentibus autumnalibus, quæ epidemice grassantur, ab cortice, vel in earumdem initiis esse abstinendum e contra juvat illico cortice uti: secus enim hujusmodi febres, & longæ, & ancipites, & periculosæ evadunt, atque nonnunquam, si per aliquod tempus constiterint, vel ipsam chinæchinæ vim eludunt. Neque minor est ejusdem utilitas in subintrantibus, in duplicatis tertianis, in quartanis triplicatis, in quibus, cum breve intervallum, & aliquando nullum, paroxismum pergressum a subsequente dividat, primum febrim sistere oportet, ut ægroti viribus prospiciamus, deinde vero per opportunam remediorum administrationem id perficere, ut quod febrim fovebat, ab sanis humoribus separetur, indeque e corpore excernatur.

CXIV.

Sed nulla ferre contingit febris, in qua peruvianus cortex magis conveniat, quam in compositis illis, quas Tortius proportionatas nuncupavit. Has ipsas intimius cognoscere, probeque distinguere, aliquanto difficile est: diligens tamen animadversio prægressorum, modi, atque ordinis, quo primis diebus febris invasit, accessionis cujuscumque, remissionisque, attenta contemplatio, rationem docebunt easdem distinguendi ab ipsis remittentibus, propterea que, ubi ad postremam hanc partem non pertinuerint, Medicus erit commonefactus de necessitate chinam-chinam viriliter, & tempestive exhibendi.

CXV.

Atque ut hac de re Tortium autorem mihi constituo, ita non facile in ejusdem opinionem descenderem, relate ad prohibendum corticis usum in iis febribus, quæ in exortu continuæ, in progressu vero intermittentes evaserint. Ubi labes impressa sit visceribus, ex quibus repurgato jam sanguini sti-

 muli

muli subministrantur, equidem cum Tortio convenio: at vero deficiente viscerum læsione, extanteque simplici mutatione morbi in morbum, a corticis usu non abhorrerem.

CXVI.

Multa de corticis actione in periodicis febribus profligandis a Medicis disputantur: abdita adhuc res est, atque secreta: sensibilium evacuationum defectus obscuritatem amplificat: eamdem auget nulla ejusdem virtus ad continuas sanandas, nulla facultas ad compescendum intermittentium jam inceptum paroxismum, ut ideo non injuria consequi possit in stimulorum correctione minime positam esse febrifugi operationem. Probari possent Freindii (a) observationes, si Tortii (b) pericula contrarium non evincerent, atque hæc tandem aliquid possent luminis afferre, nisi Youngius (c) declaravisset, quam parum ab similibus observationibus sperandum sit, ad remediorum agendi modum cognoscendum. Hinc patet a proprietate, quam cortex habere possit ad humores vel solvendos, vel figendos, non esse expectandam, neque dissolutionem materiei, quæ stimulos continet, neque ejusdem coagulationem, ut inepta inde fiat ad cor ipsum vividius irritandum. Accedit chinam-chinam, sive cum acidis, sive cum alkalinis cum fixis, tum volatilibus, sive cum mediis salibus, sive cum purgantibus, aut cum opiatis usurpatam, indeque modo solventi, modo coagulanti potentiæ adjunctam, una semper, ceteris paribus, eadem, constantique ratione intermittentes profligare.

CXVII.

Neque antifebrilem corticis virtutem ab ejusdem amaritie repetendam esse conjecerim: rem patefacit tartari sal, quo amaritiem exuit suam, quin tamen minus inde aptus evadat ad intermittentes debellandas. Ipse autem non satis placet Pringleus, (d) qui antisepticis chinæ proprietatibus opus omne tribuendum esse fuerat suspicatus. Contra hujusmodi opinionem faciunt antiseptica reliqua inutilia omnino ad periodum subducendam: deinde vero, est ne demonstratum intermittentium quarumcumque febrium antece-

den-

(a) Oper. Omn. pag. 109. (b) Loc. cit.
(c) A Treatise on opium Sect. I. (d) Loc. cit. Append. part. II. pag. XXIV.

dentes caufas aptitudinem ponere ad putridinem? Id non facile Pringleo poteſt concedi.

CXVIII.

Hiſce omnibus perpenſis, æſtimatiſque, non abſonum videtur conjectare, corticem peruvianum in ſolidis potius humanæ machinamenti, quam in fluidis actionem ſuam perficere. Docet id cognitio cauſarum cum fibram muſcularem in actionem avocantium, tum ejuſdem relaxationem conſtituentium, deinde conſideratio cauſæ proximæ ipſius febris, ejuſdemque evolutionis ratio ad intermittentes ponendas, demum viciſſitudines multigenæ corticis actionem conſecutæ in ſtatu ſanitatis, in febribus periodicis, in aliis morbis chinæ-chinæ obbedientibus. Quodnam vero illud fibrarum genus ſit, cui proxime cortex opitulatur, determinate arduum magnopere eſt. auderem tamen cellularem membranam hoc in opere intactam non relinquere. Etiamſi primo intuitu hujuſmodi opinio plus novitatis habere videatur, quam veritatis, ſi quis tamen eamdem animadverſione proſequi aliqua non recuſaverit, forte non omnino reiciendam judicabit.

CXIX.

Omnino intermittente jam fugata corticis uſui ad recidivam impediendam plerumque juvat inſiſtere, cumque ejuſmodi febres diuturniores plerumque eſſe ſoleant, poſt ipſas debilitato corpori proſpicere oportet, potiſſimaque ratio habenda eſt eorum effectuum, quos antecedentes cauſæ produxerunt. In hiſce vero omnibus perficiendis, qui ab traditis a Tortio præceptis recedit, vereor plurimum, ne ægrotorum ſuorum utilitati conſulere ſatis poſſit.

CXX.

Multa de Quaſſiæ ligni virtute adverſus periodicas febres Blomius (a) propoſuit, quaſi ſi ab eodem, non minus utilitatis eſſet expectandum, quam ipſo a cortice peruviano. Utinam, non una tantum obſervatione ſententiam ſuam confirmando, propriis experimentis uteretur, neque ipſos uſque ad Americanos confugeret. Utinam quæ de Quaſſiæ ligni actione idem Autor proponit, ſatis vere dicta eſſent. Ego certe nunquam

(a) *Carol. Linnei amæn. Acad. Vol. VI. Cap. IV. pag. 426.*

Blomianum præsidium chinam-chinam ad periodicas febres debellandas dignitate superare judicaverim, cum sciam pericula ab gravissimis Medicis vestris tentata, Blomium ipsum non sustinuisse.

CXXI.

Sed ab intermittentibus febribus iterum in continuas regrediendo, unum vel alterum ponamus, quod miliaris curationem respiciat. Enervata myasmatis miliaris actione, facile intelligitur symptomata morbi plurimum debere mitigari. Utinam pulvis Wagnero adeo probatus (a), tutus, atque constans ad miliarem advenientem impediendam, vel evolutam jam promptissime abigendam, Medicorum notitiæ non subtraheretur. Gmelinus [b] quædam pericula tentavit, ut Wagnerianum pulverem attingeret. Num vero feliciter satis incesserit videat Allionius, qui cum post diligentes observationes specificum adversus miliares non satis desfinire potuerit, laboriosum magnopere, fereque impossibilem constituit ejusdem inveniendi modum.

CXXII.

Illud igitur superest unum, ut miliari febri iis præsidiis subveniamus, quibus venenum abs corpore evacuetur, quibusque accedentia symptomata, quæ gravissima plerumque esse consueverunt, leniantur. Utrumque diversum postulat methodum pro vario febris tempore, pro multimoda ægrorum, graviditatis, puerperii, morborumque adjunctorum conditione. Singula prosequi longum esset: unum adjungere opportunum videtur: nimirum illorum opinionem non satis Ægrotorum utilitati esse accomodatam, qui generali præcepto perhibent, viam aptissimam in hoc morbo pro morbifica materia evacuanda, alvi ductione contineri, ideoque sudores non multo studio esse evocandos, quin imo, vel in prima morbi periodo, per ipsam purgantium operationem esse prohibendos. Hoc interdum agere utique præstabit: nimirum cum turbæ multiplices eruptioni adjunctæ profluunt ab miliari veneno nervos cutis irritante, indeque plerosque alios in consensum trahente. at ubi illæ eædem nascuntur ab universali sanguinis, ceterorumque fluidorum depravatione, non licebit mehercule

(a) De Med. Quot. ad Puerp. Feb. mil. nov. Epistola.
(b) De Feb. Miliar. pag. 29.31

G

cule purgantibus insistere, quibus, perturbatis naturæ motibus, fluida magis inficiuntur, quibusque, quod rei caput est, morbifica materies, Ramazzino (a) monente, non eliminatur.

CXXIII.

Variolarum curatio multimodis institui debet pro vario morbi tempore, proque diversa variolosi myasmatis indole. Initio morbi, symptomata inflammationis præsentiam ostendunt. Ergo antiphlogistica methodus Rhasi [b] adeo probata, a Medicis posteriorum ætatum damnata, iterumque a Sydhenamo, [c] & Boerhaavio [d] in Medicinam restituta, ut plurimum est adhibenda, eaque varie moderanda juxta diversam morbi, symptomatum, ægrotorumque constitutionem. Non ita vero id est accipiendum, ut non aliquando præster, vel ubi vires insigniter sunt prostratæ, vel ubi malignarum, aut perniciosarum variolarum suspicio se prodit ab contrario fonte, duce Mortono (e), præsidia expoicere, atque vel ipso preparationis tempore, alexipharmacis, cardiacis, aliisque id genus auxiliis insistere.

CXXIV.

At variolosis maculis jam aparentibus, iisque hac, illac consurgentibus generali præcepto monuit Diemerbroekius (f) a venæ incisione penitus esse abstinendum. Nimium aliquid hoc est. Utique namque Meadius (g), Swietenius (h), Haenius (i), aliique Nobiles Medici (k) casus notaverunt in quibus ipsa Phlebotomia rerum omnium faciem ita mutavit, ut parva, densa, irregulariterque evoluta variolosa exhantemata, atque pessimis symptomatibus comitata, feliciter explicarentur, ampliora fierent, numero minuerentur, unaque adjuncta gravissima mirum in modum compescerentur. Neque dissimilia judicanda esse crediderim relate ad illa, quæ disputantur de alvi ductione, vel ante pustularum eruptionem, vel ubi eædem jam prodierint. Mortono [l] non semper hac de re præstat fidere: juvat interdum uti Sydhenamii (m) at-

(a) Loc. c. pag. 327 [b] Mead de Variol. & Morbill. pag. 140. & seq.
(c) Loc. cit. sect. 3. cap. 2. (d) Loc. cit. §. 1393 & seq. [e] De Variol. cap. VII. pag. 57.
(f) De Variol. & Morbill. pag. 282. (g) Loc. cit. pag. 34. (h) Loc. cit. cit. §. 1391.
(i) Loc. cit. Vol. 2. Pars II. Cap. III. pag. 15.
(k) Freind de Purg. in secund. Var. cont. Febr. pag. 14.
(l) Loc. cit. Cap. VIII. pag. 81. (m) Loc. cit. sect. III. Cap. II. pag. 180.

atque Hofmanni [a] consiliis, Boerhaaviana autoritate (b), observationibusque confirmatis.

CXXV.

Longum esset auxilia recensere omnia, quæ in ceteris variolarum temporibus a diversa symptomatum conditione postulantur. Scire juvat summam medico necessariam esse prudentiam, ne perniciem in eo constituat, quod auxilii causa administratur: hinc opiata, ipsumque opium, vel duce Tissoto [c] omnino reprobet, vel nisi summis adhibitis cautionibus, eadem in usum advocet, maxime in primis morbi periodis. Balnea, vapores, fomenta, Cotunnio autore, (d) plane non exigat. Monita Boerhaaviana (e), quæ circa hunc locum prostant, Haenii (f) præcepta ipsum monebunt, quot, quantaque comoda a recensitis præsidiis sint expectanda. Ptyalismi in adultis, diarrhææ in infantibus, successivæ quarumdam partium inflationis ratio est habenda, ut si consuetum ordinem hujusmodi vicissitudines non servent, opportunis administrationibus succurratur. Febri sæcundaria adveniente, resorpi. intra sanguinem materiei exitus est molliendus. at caute incedendum, atque quo natura vergit, eo ducere, movere, contendere oportet, nunquam autem vim facere, nunquam urgere vehementer, aut impellere. Siccis pustulis etiamsi Diemerbroekius (g) earumdem aperitionem perpetuo condamnet, præstat tamen, ut plurimum, Haenii (h) momentis, atque observationibus, multo magis tribuere.

CXXVI.

Porro cum plerosque omnes variolæ obsideant, sintque plurimi, qui multis, & magnis incomodis conflictantur propter immensam morbi gravitatem, administratio variolas per insitionem communicandi, antiquissima apud Zigas, Georgianosque, instituta primum apud Istos ad indecoram faciei formam impediendam, in usum deinde advocata ab Afris, & Asiaticis ad variolosa infortunia mitiganda, atque blandienda, tandem post litigia, fataque multiplicia apud plures Europæ gentes invaluit. Principes Viros innume-

(a) Med. rat. syst. Vol. IV. Sect. I. Cap. VII pag. 148. (b) Loc. cit. §. 1394.
(c) De Variol. Apopl. & Hydr. pag. 6. & seq. (d) Loc. cit. §. 54. & seq.
(e) Loc. cit. §. 1394. 1398. (f) Loc. cit. pag. 24.
(g) De Variol. & Morbill. (h) Loc. cit. pag. 26. & seq.

meros omnem fere per Europam insitio a naturalibus variolis servavit. Prostant splendidissimo genere nati Cives nostri, qui per hujusmodi operationem ab variolosis infortuniis immunes evaserunt. Hæc insitioni plurimum laudis, & autoritatis videntur comparare.

CXXVII.

Sed cum observatione communi plane constet, nonnullos per omnem vitam penitus a variolis esse liberos, cum eorum, quibus benignæ variolæ fuerant insitæ, alii gravissimis confluentium symptomatibus fuerint apprehensi, alii occubuerint, cum non satis certo demonstratum sit, artificiales variolas jam antea habitas a naturalibus penitus servare, cum tandem variolosum contagium per insitionem evolvatur, & conservetur, vereor valde, ne plus forte periculi in hac re sit, quam Medicum ipsum deceat.

CXXVIII.

Hinc Medicos inoculationem commendantes, atque suadentes nimium aliquid proponere, nimium sibi, & aliis polliceri judico. Ergo ne Medicus illam eamdem improbabit? Cur non? Si vero quo tempore, ob Medicum negantem, insitio non instituitur, naturales variolæ hominem examinent, quam non inconsiderate illum egisse arbitrabitur? At nonne qui naturalibus variolis decumbit, contagio illas plerumque excepit? ita sane: Cur non idem egisset, vel ipsis artificialibus admotis? Atqui administratio, quæ præcedit insitionem auxilio esse potuisset ad infortunium ultimum effugiendum? Hoc asseritur, non autem probabili sermone demonstratur. Quid quod, si Medici quidam sint, qui omnem omnino præparationem prohibeant? Ceterum, si vel primum etiam concederetur, cur homines variolas nondum passi, idque morbi genus pertimescentes, vel ob ætatem, vel ob anni tempus, vel ob ipsam variolosam constitutionem, per appropriatam dietæ methodum, eadem præsidia non sibi conficiunt?

CXXIX.

Ne quid vero subtraham iis, quæ prudentem Medicum deceant, petentibus consilium circa insitionem, ita respondendum esse judico, ut comoda Medicus recenseat ab insitione speranda, unaque damna silentio non prætereat, quæ ab eadem timeri possunt. Qui petunt, hisce cognitionibus instructi, poterunt, quid agendum deinde sit, per se constituere, atque deliberare.

CXXX.

CXXX.

Quod si tandem insitio sit celebranda, neque Ubesii *(a)* uterer methodo, neque ab eadem tantum utilitatis expectarem, quantum ipse contendit. Dismaldio *(b)* monstrante, suadenteque experientia, audax nimium res est, votis ultro non respondet. hinc nisi quintum, aut sextum post ætatis annum operationem instituendam comendaverim, omninoque prohibuerim, si vel ad convulsivas affectiones infantes fuerint proclives, vel cronico morbo confecti, vel acutis ægrotationibus obnoxii. Num vero singulis subjectis aut pulveres Dismaldii [c] sint propinandæ, aut etiops mineralis, aut china-china, num singulis balnea sint suadenda, equidem non affirmaverim, imo vero illum preparationis modum anteponerem, quem temperamentum ætas, vitæ genus, regio, hujusmodi demum alia postulaverint.

CXXXI.

Cronicarum, lentarumque febrium genera, gradus, tempora, adjuncta, cum multimodis, fereque contrariis discriminibus contineantur, non unam postulant, eamdemque medicam administrationem. ideo variis præssidiis hisce ægrotationibus est subveniendum, idque perpetuo præstat, diligenterque observare, nimirum ut antecedentium causarum indoles probe a medico consideretur, utque visceris præ aliis affecti, læsarumque inde functionum ratio habeatur. Ceteris postmodum æstimatis, quæ cum egroti vires, temperamentum, vitæque genus, tum anni tempestatem, regionisque conditionem, ac tandem gradum morbi respiciant, indicationes præsto erunt, quæ quid aggrediendum sit, apertissime significabunt.

CXXXII.

Scire autem juvat præter analeptica, nutrientia, corroborantia, incrassantia, præter lacteam dietam, victumque vegetabilem, præter auxilia reliqua, eaque satis multa, que vel a Pharmaceutico, vel a Dietetico fonte depromuntur, non tutius forte præssidii genus extare ipsis thermalibus aquis, opportuno tempore, debitaque occasione administratis. Felices Vos, quibus adeo liberalis natura fuit, ut non longe ab

(a) Notizie istor. intorno l'orig ne, ed il progresso del Vaj., e della Inoculaz. pag. 59., e seg.
(b) The p of bits of inoc the small pox pag. 7. (c) Loc. cit. p. g. 15.

ab splendidissima Urbe hac vestra perennes fontes thermalium aquarum sub Porrectano Cœlo constituerit. Utique componentia varia, atque multiplicia, in diversis fontibus, diversa proportione ad invicem ordinata, varius inde caloris, actionis, virtutisque gradus id comodi concedunt, ut vel paulatim ad activiorem aquam ascendendo, ægrotus ad remedium disponatur, vel ut ex variis fontibus illum eligamus, quem ad morbi conditionem oportunum magis judicaverimus. Impressi libri ab vetustissimis usque temporibus, conscripta hac nostra ætate volumina,[a] tandem ægroti ab cronicis, lentisque morbis febrilibus feliciter evasi per ipsum Porrectanarum aquarum usum, earumdem utilitatem amplissime patefaciunt.



Vidit

(a) *Delle Terme Porrettane. Scelta de Stor. Med. spettanti alle Ter. Por. per li anni 1770. 1771. 1772.*

Vidit D. Angelus Michael Griffini Clericus Regularis S. Pauli, & in Ecclesia Metropolitana Bononiæ Pœnitentiarius pro Eminentissimo, & Reverendissimo Domino Domino Cardinali VINCENTIO MALVETIO *Archiepiscopo Bononiæ, & S. R. I. Principe.*

Die 5. Martii 1774.

Imprimatur.

Fr. Carolus Dominicus Bandiera Sacræ Theologiæ Magister, & Vicarius Generalis Sancti Officii Bononiæ.

BONONIÆ CIƆIƆCCLXXIV
EXCUDEBAT JOSEPHUS LONGHI
SUPERIORUM FACULTATE.

